MEDICUS CHRISTIANUS ASÆ REGIS JUDÆ PODAGRAM EXHIBENS.

Id est:

DISPUTATIO INAUGURALIS

De

PODAGRA.

QUAM

SUB PRÆSIDIO

SUMMI ET TRISMEGISTI ARCHIATRI NOSTRI

IESU CHRISTI,

Ex

INDULTU & CONCESSIONE

Nobilissimæ & Gratiosissimæ

FACULTATIS MEDICAE

in Celeberrimâ Academiâ Gissenâ,

Pro summis in Arte Medicâ Honoribus & Privilegiis Doctoralibus, ritè & solenniter consequendis,

OMNIBUS OMNIUM FACULTATUM PROFESSORIBUS,

publicè ventilandam devotè submittit,

In Auditorio publico,

LUDOVICUS CHRISTIANUS TACKIUS,

GISSA-HASSUS.

Ad diem 3. Junii, horis locóque consuetis.

Typis FRIDERICI KARGERI, Academ. Typogr. Ordinar. Ann. 1675.

SERENISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO,

DN. LUDO VICO VI.

DEI GRATIA, HASSIAE LAND GRAVIO, PRINCIPI HERSFELDIÆ COMITI IN CATTIMELIBOCO, DE CIA, ZIEGENHAINA, NIDDA, SCHAUENBURGO, ISENBURGO, ET BUDINGA:

PRINCIPI, PIO, AUGUSTO, FELICI.

DOMINO MEO CLEMENTISSIMO, EVERGETÆ MUNIFICENTISSIMO.

ÆQuum est, *Princeps* OPTUME MAXUME! ut, qui Serenissimo auspicio tuo, in Academiâ Gissenâ, inter Eruditos hactenus militavi, arma clypeumque meum aliquantisper exuam, & de Musis parta spolia, coram Serenissimo Vultu Tuo humilimè deponam, *Tibiq;*, post Deum, gratiis actis, vultu, ore, gestu, imò ex corde bene precer. *Tuo* nempe beneficio ad bonas artes applicui animum, qui me, cùm natus essem, divino primùm fœderi asseruisti, ut haustis pietatis & veræ religionis præceptis, etiam cæteris imbuerer, quibus apud homines usus est & æstimatio; Philosophiâ nempe & Medicinâ, tam quæ nostris, quàm quæ primorum Patrum seculis coli cæpit, & in tantam altitudinem excrevit, ut haud dubitent nonnulli, eam inter primi mundi Patriarchas *per Enochum* sive cœlo detractam, sive, cum ipso, cœlo iterum inferri meruisse. Totum itaque hoc, quicquid Serenissimâ liberalitate & clementiâ Tuâ ausus sum: vel Clarissimorum Academiæ Patriæ Doctorum sedulâ informatione accepi, vel paternis hausi præceptis, & sub schemate *soluti nodi Gordii*, sive *Podagræ Regis Asæ* titulo comprehendere potui, Tuis jã humilimè submitto pedibus. Sunt ea omnia, *ô Princeps!* post Deum, Beneficentiæ Tuæ fructus, unde & Tibi primitiæ laborum & honorum meorum, quos ex Academiâ lætus retuli, debentur. Neque enim mea essent, nisi priùs Tua fuissent.

Clementissimo itaque cape nutu, & omine auspicato, spolia devotissimi clientis Tui, qui cum exiguo fœnore reddere gestit ea, quæ abs Te accepit, allaturus plura &

 uberio-

uberiora, ubi ætatem hanc, adoleſcentiam nondum egreſſam: ubi manus has, majoribus & ſecretioribus exantlandis dedicatas: ubi Spiritum hunc meum adhuc debilem, & majora auſurum animaveris, & *Sereniſſimo Tuo* nutu porrò incaleſcere feceris, quod non deſpero, dum humilimi ſervi Tui, Patris mei, domum ſic inſtruxiſti, & ſtare feciſti, ut, ſi qua ejus ſit ſperanda à Deo, etiam in nepotibus, poſteritas, æternis illa Tibi devincta teneatur obſequiis.

Tu verò, ô *Princeps!* cujus gloriam domi forisque, ſago togâque, neque exteri aliquando, neque incolæ pro dignitate tuâ ſufficienter metientur, ſurgentibus hinc inde, ad ſydera usque, Virtutis tuæ inæſtimabilibus pinnis, aëre & terrâ, & vel lapidibus ipſis & mœnibus acclamantibus, perpetuâ felicitate fruere, imò ut *muralibus non ſolùm*; ſed & *triumphalibus & aureis coronis*, ob Sapientiã Tuã, tempora redimitus floreas, & cum patriâ indelebili Principum ſerie in poſteris vivas, devotus & ſupplex oro. Ego omnibus Tuis beneficiis inundatus, cæterisq; lætus, hoc uno torqueor, quòd non inveniam *Soles, quibus Beneficentiæ Tuæ Principalis* imbres exſiccare, aut rationes, quibus *Tuis*, in paternam familiam, meque indignum collatis meritis ſatisfacere queam, niſi ipſe oſtenderis modum, *Sereniſſime Princeps ac Domine*, quô ſim fiamque aliquando tot radiantium virtutum Tuarum, tot Principum juventutis, tot futurorum Heroum & Heroinarum Domus Haſſô-Darmſtatinæ, quorum ſublimes animos æternaturo obſequio cultuque metiri, ſi licet, cupio,

Vtilis aliquando & humilimus devotiſſimusque debitor, cultor, & ſervus

Ludovicus Chriſtianus Tackius.

Q. D. B. V.

TU quoque jam pulcrô, TACKI, ſpectande theatrô,
Ingenii luſus cogeris eſſe mei;
Nodoſos *Podagræ* dum mentis acumine nodos
Solvis, in alternos ſubſilit, ecce! pedes
Muſa, tuis plaudens jucundâ voce triumphis,
Paucula que in laudem præcipitata canit.
Nempe per egregias *Artis* diffunderis arteis,
Et vulgare nihil te, triviumque juvat.
Naturæ occultos tentas penetrare receſſus,
Hermetis faculam doctus ubique ſequi.
Tanti erat, à puerô *Clari Genitoris* habenis
Duci, ac artifices usque videre manus.
Sic virtus ſtimulata ſuos extendit honores,
Hautque aliâ ſobolem fas erat ire viâ.
Gaude igitur titulis, & lætus ſerta capeſſe,
Dignaque ſint meritis fata futura tuis!
Tuq; PATER gaude, famâ celeberrime TACKI!
Dum patrium proles æmula calcat iter.

En!

En! nova nunc iterum Tibi gaudia parturit æther,
Inque animô Nati naſceris ipſe Tui!
Poſteritas utriusque diu lætetur honore,
Et cumulet magno munere utrumq; DEUS!

Sic Dn. L. C. Tackio,

Magni Johannis TACKII Filio, paternarum virtutum uti æmulo, ita eandem celebritatem feliciter adſpiranti, de novis honoribus ὁλοκαρδίως *l. mq. gratulatur*

LAURENTIUS STRAUSSIUS,
Med. D. hujusque & Philoſophiæ
Natural. Profeſſ. Ord.





IN NOMINE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI, SUMMI ET TRISMEGISTI ARCHIATRI NOSTRI, AMEN.

PROEMIUM.



DE *Alexandro Magno*, *Curtius*: Ipſum *Gordio*, *Phrygiæ Urbe* in ſuam ditionem redactâ, Jovis intrâſſe templum, vehiculum, quô *Gordius*, *Midæ Pater* vectus erat, adſpexiſſe, cognitoque notabili jugo, adſtricto compluribus nodis, inſemet ipſos implicatis, & celantibus nexus, & oraculô editô: *Aſia* potiturum, qui inexplicabile vinculum ſolviſſet: cupidine tactum ſortis ejus implendæ, & haud diu luctatum cum latentibus nodis, ratum, nihil inter eſſe, quomodo ſolvantur, gladio ruptis omnibus loris, oraculi ſortem vel eluſiſſe, vel impleviſſe.

Qui hominem microcoſmum dixerunt, & varias in eo provincias agnoverunt, dum caput cœlo & ſuperioribus mundi partibus, pectoris regionem mediis, & inferioribus inferiora æquiparârunt, haud iniquè mihi feciſſe videntur; ſiquidem cometas, fulgura, tonitrua, nubes, pluvias, grandines, tempeſtates, ventos, maria, eorumque fluxus & refluxus, & terras in eo varias, ut neque ſileam cœli luminaria, cum reliquis planetis & ſtellis, diu in eo agnovit antiquitas, & demonſtravit *Crollius, in tractatu de Signaturâ rerum.*

Cur ergò *Phrygiam* ego deſiderarem in homine? Cur *Phryges* non dicerem eam mortalium partem, quorum Pater *Midas* eſt, id eſt: qui divitiis affluentes genio ſuo indulgent, & variè ſolvuntur in luxum, ut tandem ex multâ ingluvie uſu pedum deſtituti Gordiano vehiculo opus habeant? Cur *Gordios* nodos non dicerem nodos podagricos? & inexplicabilia vincula, ſive lora, quibus nervi adſtringuntur, ipſam podagram? Cur non *Aſiæ* & *Phaleiæ*, ſi non *Aſiæ* potitu-

rum crederem regno, id eſt, inter omnes Medicos Monarchiam affectaturum, qui lora ejusmodi dirimere, & nodos tam duros, ut Alexander gladiô diſſecare poſſet? Eſt enim ASA Sulphur & univerſale medicamentum ad extra: PHALEIA verò univerſale medicamentum ad intra. De quibus legi poteſt *Frater Baſilius Valentinus*, von der groſſen Heimlichkeit der Welt / und ihrer Artzney / dem Menſchen zugehörig; videnturque duo illa vocabula deducta, ſive ex Græco ἀσφάλεια, quod ſignificat ſecuritatem, tutelam, munitionem, diligentiam, quâ res in tuto collocatur, item certam confirmationem, cautionem, cuſtodiam, incolumitatem, remedium, ſanitatem, tranquillum rerum ſtatum, &c. ſive ex Hebræo, uti *Leonhardus Thurneiſſerus*, *libr. 2. onomaſtici ſui*, *p.* 22. de ASA loquitur: אשא, *Aſa*, *Aſſa*,: Iſt Hebraiſch / bedeutet einen Artzt / einen Heilmacher / einen Sanatorem. *Paracelſus* verò *in Uſu diſtill. libr.* 4. *c.* 29. nennt das Diaphoreticum compoſitum Aſa, derhalben / daß es von den dreyen herzlichen Stücken bereitet / und daß es ſo heilſam iſt. Cur denique ægri Jovis non intrarent templum cum *Alexandro*, nodorum ſuorum explicationem habituri? id eſt: Cur apud *Jehovam*, qui *Exodi* 15. dicit: *Ego Jehova Medicus ſive curator tuus*: non quærunt dolorum ſuorum levamen, & mali tam enormis tamque nodoſi curam? Sed temerariâ fiduciâ in ſolis naturæ remediis confiſi, ſpes omnes ſuas in inritum convertunt. Divino enim auxilio opus eſt, & ancipiti verbi divini gladio, ubi medicantium conatus eludit morbi pertinacia, ad cujus qui non vivunt voluntatem & præcepta, pro arbitrio divinæ iræ varia experiuntur damna, ſive animi, ſive corporis, ſive fortunæ, inprimis, qui diætam negligunt, illud *Eccleſiaſtici*, *cap.* 38. *v.* 30. 31. 32. 33. 34. Sed, quemadmodum *Trojani* tot jam acceptis cladibus, vix decimo demum anno, de reſtituendâ *Helenâ*, conſultare cæperunt, quàm ſi ſtatim initio repoſcenti *Menelao* reddidiſſent, innumerabilibus ſeſe calamitatibus ſubduxiſſent; Et *Demades*, authore *Plutarcho*, dicere ſolebat: *Athenienſes nunquam decernere pacem, niſi pullis veſtibus indutos*: Quod & hodiè inter Chriſtianos fieri deprehendimus, qui ne tot quidem annorum malis docti, bellum oderunt: Ita magna mortalium pars ſermonem de diætâ raro excipiunt, & intenſiori cupiditatum & affectuum ardore nihil ſibi detrahentes, contra ſeipſos licentiùs bella gerunt, donec ſera ſit in fundo parſimonia, ſicque *rarò ſapiant Phryges & fruſtra pœnitentiam cùm lacbrymis quærant*; *ſed cum Eſavo non inveniant*. Hebr. 12. v. 16. 17. Longè aliter *Alexander* egit, qui in Jovis tem-

templo rationem solvendi nodos Gordios invenit, & inceptum opus, supra mortalium expectationem, ad finem, læto omine, deduxit, *Asiæ* victor paulò pòst futurus: aliter illi, qui gentium mores condiderunt, senserunt, dum parco & parabili victu ostendere voluerunt, quàm tutò humana natura paucis contenta esse possit: ***Optimam esse domum, quæ quàm minimo apparatu indigeat.***

Sed cur his immoror? dicam: Intranti mihi nuper templum Altissimi, & evolventi sacras paginas, in quibus omnis sapientia, sive divina, sive humana descripta est, divinâ quâdã sorte obtigit in paralipomenωn libr. 2. historia *Asæ*; ubi, *capit* 16. agitur de illius Regis ægritudine, & *quòd ex pedibus laboraverit.* Miratus itaque *Gordium* illum *morbum*, & num ad medicinam aliquid sacra conferre possint, ex quorum sanè lectione & observatione vita nostra tanquam sacro & venerabili ore trahi memoratur, spiritusque noster semper pendere debet, dispiciens, operæpretium me facturum putavi, si ex *Historiâ Asæ Regis*, de *Podagrâ* publicè disserendi expermentum facerem. Neque, spero, quisquam sive ex *Hippocratis*, sive *Galeni*, ut & *Hermetis Scholâ* mihi hunc ausum exprobrabit. Dum enim pluris est æstimanda Sapientia divina, quàm humana, neque morbus facile infligitur, aut remedium accipit, nisi dirigente Deo, cujus nutu afflictus animus vigorem primò suum, deinde corpus quoque recuperat, ut ex lecto in mortalium conspectum denuò venire queant ægri; divinâ ope & præeunte sacrâ historiâ, prius morbum hunc aggredi destinavi, quàm Ethnicorum fana & delubra explorarem. *Tu, ó Jehova! penes quem vita & necis arbitrium est: qui vulneras & sanas: qui omnes Ægypti infirmitates procul esse jubes ab observantibus leges tuas, effice quæso, ut verbi tui veritatem secutus, tam atrocis mali naturam & remedium inveniam, per Dominum nostrum Jesum Christum, Servatorem & summum Medicum nostrum! Amen.*

Textus ex posteriori Chronicorum Cap. XVI. v. 12.

Ægrotavit autem Asa, ex pedibus, anno trigesimo nono Regni sui, usq; eò, ut morbus ejus summè invalesceret: tamen ne in morbo quidem suo re-

quisivit Iehovam: sed hæsit Medicis. Denique occumbens Asa cum Patribus suis, mortuus est, anno quadragesimo primo, ex quo regnare cœpit.

Resolutio.

Asa victoriis clarus: Æthiopum & *Lybium* numerosis copiis deletis augustus: fiduciâque & pietate in Deum, initô cum Jehovâ fœdere, supremo Numini charus; sed, cùm *Baëscha* ædificaret *Ramam*, coarctaturus egredientium & regredientium ad *Asam Jehudæ Regem* licentiam, sive oblitus admirabilis assistentiæ divinæ, sive in zelo suo, pro religione & cultu pietatis, increscente ætate, remissior factus, invisum Deo commercium auxiliare, missis auri & argenti thesauris, cum *Benhadado Syriæ Rege* petiverat.

Jamque ob eam causam reprehensus à *Chanani vidente*, quòd pristinum *Jehovæ* beneficium oblitus, viribus inniteretur humanis, fore, ut porrò contra ipsum essent bella, cùm, indignatione exæstuans, Prophetam in carcerem misisset sonticum, ubi delinquentes constringuntur cippis, & ex populo quosdam conquassâsset; ex pedibus anno 39. Regni sui ægrotare cæpit. Cui morbo, cùm frustrà medicam opposuisset manum, & quòd mallet ignorare, quantum ex imploratione auxilij divini ad sanitatem conferre possit, quàm, usque ad mortis metum adductus, remittere de confidentiâ humanâ, & de divino cogitare beneficio, pedum afflictione invalescente, mortuus est, anno 41. regni sui.

Evolutio casus.

Ægrotavit) id est, *secundùm Galenum*, affectionem præter naturam, actionem impedientem, vel dispositionem quandam, functiones lædentem sensit. Siquidem, *eôdem Galeno teste:* ob læsiones, quæ omninò propriâ ratione, immediateque operationem totius organi offendunt, aut saltem impediunt, ægritudines sunt putandæ. Secundùm verò *Hippocratem*, *ex libr. de Naturâ hominis*, discrasiam aliquam 4. humorum passus est: vel, *ex libr. de Veteri medicinâ*, separationem aliquam, sive amari & salsi, sive dulcis & acidi, sive acerbi & insipidi à se invicem, deprehendit. Siquidem, *genera-*

neraliter, omne, quicquid lædit hominem, corpori inhærens, eumque tristitiâ afficit, morbus appellatur: *In propriâ* verò *significatione*, quicquid actiones lædit, primò, & per se, ad excludendum causas & symptomata.

Helmontius verò, considerans, morbos in defunctis non esse, & sine rectore spiritu in homine nullas operationes fieri posse, tum ægrotare homines existimat, & morbum pati, cùm spiritus Archeus, sive rector principalis, quatenus sensationis motusque initium & efficiens, immediatè atque proximè afficiatur, & causa illa occasionalis atque Archeus se mutuò contingant in puncto vitæ; hinc n. pro diversimodè conceptâ ideâ pavoris aut excandescentiæ, oriri morbos diversos: siquidem ex materiâ Archei, & ideâ seminali, tanquam efficiente initio, omnem morbum seminalem deducit.

Sacra verò Scriptura, altiùs quodammodo morborum originem deducens, eosque peccati pœnam agnoscens, illud *ægrotavit* sic explicare videtur: malum seu angustiam quandam, ob faciei Jehovæ absentiam, & occultationem: vel vultus Jehovæ irascentis, propter mala, intensionem & animadversionem: vel percussionem, & dolorem aut increpationem, maledictionem aut vexationem, & iram Dei: vel sagittam omnipotentis: vel plagam ab Angelo percussore, ventum malignum inspirante, irascentis Jehovæ manu vel jussu: vel carcerem ac compedes [ita enim morbi in sacris sæpius describuntur] animo & corpote passus est. *Siquidem nullum in civitate malum, quod Deus non immittat*, secundùm eam proprietatem, quâ peccatores persequitur, sive, ut eos exscindat, sive ad meliorem frugem reducat. *Videatur Rob. de Fluctibus in mysterio morborum.*

Autem) Particula est adversativa, quæ superioribus factum hoc opponit & adnectit; unde procul dubio nonnulli collegerunt: *Asam* ægrotâsse, non ex dispositione præternaturali, ortâ ex diætæ neglectu, & morborum seminio intra se genito; sed singulari Dei dispositione & plagâ extraordinariâ, de quo tamen latiùs infrà.

Asa ex pedibus) Æquo pede pulsare mortem Regum turres ac pauperum tabernas, jam olim proditum est ab *Horatio*; neque à morbis, ad vitæ finem, tutos fuisse Reges, jam satis constat. Etsi enim vocantur in sacris scripturis *Elohim*, id est, Dii, pati tamen coguntur ea, à quibus etiam vel minimo imminet periculum. *Augustus* coxendice femore & crure sinistro non perinde valebat, ut sæpè etiam

 inde

inde claudicaret, procul dubio, ab *Arthritidis* illâ *specie*, quæ *podagra* appellatur. *Galba* manibus pedibusque fuit distortissimus, ut neque calceum perpeti, neque libellos evolvere aut tenere omninò valeret, chiragrâ & podagrâ simul vexatus. De ægritudine hâc cùm scriberet *Herodes*, hanc misit epistolam: *Cùm esse oportet, manus non habeo: oportet progredi, non sunt mihi pedes: oportet dolere, tum & pedes mihi sunt & manus.* Podagrâ verò fuisse affectum *Asam*, omnes ferè censent commentatores in hunc locum. Ex præcipuis in medium prodeat *Frater Nicolaus de Lyrâ*, qui in *Postilla suâ ad libr. III. Regum Cap. XV.* ita scribit: *Verùm, tempore senectutis* &c. *cujus causa tamen exprimitur II. paralip. XVI. quòd Prophetam Anani eum arguentem, quòd magis confisus sit in hominibus, quàm in Deo, iratus jussit mitti in nervum; ideò percussus est podagrâ in pedibus.* Et alibi: *ut sic puniretur in quo peccaverat, ponendo Prophetas in cippo per pedes.* Ita quidem Lyra. Verùm, cùm non apertè exprimatur causa, cur Asa podagra affectus fuerit, in textu; ex congruo potiùs, quàm ex necessitate collegisse videtur, ideò *Asam* ex pedibus laborâsse, quòd in nervũ compingi jusserit *Prophetam Chanani*; siquidem, secundùm illud vulgare: *per quod quis peccat, per idem quoque punitur.* Confer. *libr. Sapientiæ cap. II. v. XVII.* Quamvis ex particulâ *autem*, de quâ jam anteà dixi, id deduci posse videatur.

Cujus etiam sententiæ est *Emanuel Thesaurus*, *in Genealogiâ Patriarcharum ad Christum*, dum de *Asâ* ita loquitur: *Æquâ igitur talione, trienni podagræ, felleæ bilis filiæ cruciandus traditur; & qui Vatum pedes nervis arctaverat, pedum nervis arctatur. At de crimine pœnam traxit, de pœna crimen.* Licet eo nomine felix fuerit, quòd lectum pro equuleo nactus membri fragâ torquente podagrâ erratorum summam procul dubio fassus fuerit, ut fragraret virtus ex flagrantis podagræ flamma.

Haud multùm aliter de hujus morbi ratione differunt Judæi. Præterquàm enim, quòd *Hebræi* inoffenso pede morbi hujus speciem transeunt, & generaliter solùm pedum fuisse ajunt, (neque enim apud Hebræos proprium Podagræ nomen occurrit:) in *Talmude* tamen *Babylonico podagra* fuisse asseritur. In tractatu enim סנהדרין *Sanhedrin c. 6. fol. 48. col. 2. in fine:* Dixit *Rabbi Jehuda*, dixisse *Raf:* omnes illas maledictiones, quibus David maledixit Joabo, impletas fuisse in semine Davidis, & id præprimis, qui nitatur scipione, impletum in *Asa*, Sed quò fundamento? Sic tradunt *Rabbini*: Quinque fu-

fuisse creatos cum aliqua specie majestatis aut prærogativa, qui iidem iisdem fuerint puniti: Nimirum, *Samsonem* robore suo: *Saulem* collo: *Absolonem* coma: *Zedekiam* oculis: *Asam* pedibus: hujus verò; pedibus afflicti causam adduxit Rabba: quia angarios esse coëgisset discipulos sapientum, secundùm illud 1. *Reg.* 15.22. *Nemo erit immunis.* Quod *Rabbi Juda* nomine *Raf* ita explicavit: Neque sponsus in thalamo. *Hæc ex ingenuâ informatione Nob. & Excellentissimi Domini Davidis Clodij, Orientalium in hâc Academiâ nostrâ Professoris longè celebratissimi, huc traduxisse sufficiat;* cui proinde publicè hîc gratias ago.

Causas cæteroquin Podagræ *Asam* intra se fovisse, naturalemque ad eum morbum ex temperamento inclinationem habuisse, ex irâ fortè colligi posset, cui valdè fuit obnoxius, & cœli constitutione, quam in Nativitate habuisse creditur, ab Andrea Goldmaiero, in Genealogiâ Davidicâ, ubi & Schema genethliacum Asæ Regis proposuit.

Naturæ autem Mystas haud frustra in evolvendis Cœli constitutionibus, & dignoscendis temperamentis occupari, non ita pridem prodidit *Clarissimus* nuper, & in Academiâ ad Salam *Celeberrimus Dominus Mœbius*, *in Physiologiâ* suâ, & alii innumeri. Quanquàm verò indignum est, homini Christiano, ut Christiano, eventuum suorum rationes petere ex astris, dum hæc inclinare vulgò, & non necessitare dicuntur, magnaque proinde existat lis, inter *Theologos* & *Mathematicos*; controversiam tamen omnem ita facilè sopitum iri judico, si consideretur duplex hominis *vita, animalis sive sensualis* & *spiritualis.* Animalis illa est, cùm homo vivit, secutus inclinationem humorum & temperamenti, quæ non rarò astrorum dispositionem imitari deprehenduntur. Hanc vitam vixêre omnes Ethnici, exceptis iis, qui quodammodo sensuum imperio superiores rationem sanam pluris fecêre, quàm sensitivos pravosque animi motus, cujus exemplum egregium exhibuit *Socrates*, qui, cùm ex lineamentis faciei judicaretur à *Philopono*, homo vitiis deditissimus, ac proinde à suis discipulis falsitatis argueretur, quòd *Socrates* esset homo, omnis generis virtutibus maximè conspicuus, non tulit hanc reprehensionem, quin potiùs laudatâ *Philoponi* arte, talis omninò futurus eram, inquit, nisi me ratio coërcuisset. Vita verò spiritualis est, cùm homo, relictis omnibus mundi reticulis, sensuumque illecebris, & persuasionibus malorum hominum, solius Dei mandata sequitur, neque ab ipsis sive ad dextram sive ad sinistram deflectit; de quo vivendi genere sic regius Propheta: Psalm.

CXIX.

CXIX. v. 8. *Quomodo purificabit puer ſemitam ſuam? obſervando eam ſecundum verbum tuum.* Quod *Lutherus* ita vertit: **Wie wird ein Jüngling ſeinen Weg unſträfflich wandeln? Wann er ſich hält nach deinen Worten.** Eſt enim in obſervatione mandatorum divinorum vita, benedictio & ſalus, prout apertè id docetur, *Deuteronomij cap. V.* Dico itaque, his præmiſſis: quòd viventes vitam ſenſualem haud dubiè experiantur cœlorum motus, & inclinationes aſtrorumque influxus; atque inde etiam natam exiſtimo gentilium aſtrologiam. Cùm enim præſagia eventus confirmarent multoties, plus tribuere cæperunt Deaſtris ſuis, Soli inquam, Lunæ & ſtellis, quàm horum Creatori omnipotenti Deo. Ne autem populus à Deo ſelectus ambularet in viâ gentium, aliam vivendi rationem illi propoſuit Deus per Moſen, ut eam ſecutus, haud timeret à ſignis cœli, ſed dirigentem Deum obſervans, ſupra effectus aſtrorum elevaretur, &, obſtetriciâ Angelorum manu, cœli & hoſtium machinationes, imò mortem ipſam evitaret, quod in Eliſæo & Hiskiâ manifeſtum evaſit, & procul dubio multoties adhuc conceditur iis, qui, per cauſas naturales, ad mortis usque fauces deducti, ſeriis ad Deum precibus & lachrymis vitæ ſuæ errores agnoſcunt, & præter ſpem liberantur. In quod ſi in aliis cœteroquin ſatis curioſi inquirerent mortales, haud pauca fortè deprehenderent exempla. Cùm itaque in locum Judæorum ſucceſſerint Chriſtiani, non aliter hos Servator & Ductor Deus noſter eximit à poteſtate aſtrorum & elementorum mundi, ſub conditione tamen immotæ fidei. Siquidem homo, Chriſtianè vivens, longè altiùs ſuæ nativitatis ducit exordia. Habet animarum aſtrologia ſeptem virtutes, loco ſuperiorum planetarum, & duodecim articulos fidei. loco duodecim cœli domuum: Sacramenta loco ſignorum: fidem & ſpem loco aſpectuum, & amorem Jeſu Chriſti, loco generalium judiciorum, tam directionum & profectionum, quàm revolutionum, quippe provenientium ex influentiis æternitatis, & ex orbe tranquillitatis & gloriæ. Unde conſequens eſt, quòd, ſi *Aſa* perſeveràſſet in fiduciâ in Deum, quâ millies mille Æthiopes uno fuderat prælio, eâdem etiam morbum hunc podagricum, ſi vel maximè ipſi, ex cauſis naturalibus ſubjectus fuiſſet, declinare aut ſuperare potuiſſet. Notent hæc fatalitatis aſſertores, & qui omnia pro lubitu agunt, credentes: depinxiſſe Fata flecti neſcia vitæ noſtræ fila & fortunarum noſtrarum eventus penicillo indelebili, exempla allegata ſingularia & extraordinaria reputantes. Nondum nobis ductor ad ſanitatis viam,

am, nondum Præceptor defuit, qui doceret ad longævitatem remedia. Etiam Eliah filius hominis fuit, obnoxius passioni, sicut nos, & oravit, ut non descenderet pluvia super terram, & non descendit tres annos & sex menses: & rursus oravit, & cœli dederunt pluviam, & terra dedit fructus suos, *Jacobi* 5. 17. 18.

Annô trigesimô Regni sui) Explicatur hoc, *priori Regum cap. XV.* per hæc verba: *In tempore senectutis suæ.* Fortè anno 59. ætatis, & sic tribus ante mortem annis, cùm enim trigesimo nono Regni sui anno decubuerit, & quadraginta unum annos regnaverit, morbus ille vehementissimus, tribus annis Regem videtur alligâsse lecto, uti notavit *Sanctius, in Commentario suo super locum, tertiô Regum cap. XV.* Sed quid hæc ad medicum inquis? dicam: haud perperam nempe Hippocratem senum morbis annumerasse ἄρθρων πόνες. i.e. articulorum dolores. Cùm enim senectus hyemi respondeat, cujus natura est frigida & humida, propterea talia quoque sunt senum corpora, teste *Hippocrate libr. I. Aphorismorum. Aphor. XIV.* Cùmque hi varios exorbitantis laticis, sive lymphæ errores & mutationes patiantur, ob caloris in illâ ætate defectum, instrumentorumque motus, ob exercitiorum remissionem, inobedientiam, decumbere humores facilè in senibus ad pedum & aliorum instrumentorum articulos, aut in his coacervari deprehenduntur; unde & in istis partibus dolores. Hâctenus itaque etiam Sacra Scriptura *Asæ seni*, prout & *Hippocrates* pedum dolorem attribuit. Ubi tamen non negandum, hodieque juvenes & pueros, imò Eunuchos, virgines & mulieres, arthritide multoties affectos observari. De qua controversia consulatur *Sennertus, quæstione nonâ de Arthritide. Ætas parentum, pejor avis, tulit nos nequiores, mox daturos progeniem vitiosiorem.*

Usq; eò, ut morbus eius summè invalesceret.) Non primô statim ictu, ἐν ἀκμῇ podagricos esse dolores, manifestum est, neque robur articulorum primô impetu statim evertitur. Hinc multoties in principio negligitur, & pro vulgari aliqua defluxione habetur, aut pro Erysipelate venditatur, proùt quotidiana testatur experientia. Hinc eleganter *Lucianus* Podagram contra illos hoc sarcasmo inducit.

Ridere verò soleo eos, quos torqueo,
Dum proloqui veram mali causam haud volunt,
Aliamque fictam in promptu habent, quâ se tegant,

Quilibet enim se decipit mendaciô:
Luxatum alicubi aut graviter allisum pedem
Dum dictitat; veramque causam supprimit.
Quod enim ipse celat, aut latere alios cupit,
Hoc tempus invito arguit eo, pòst tamen.

Lentô itaque gradu progreditur, donec ad summam non solùm vehementiam, nervosis partibus magis magisque laceratis, proveniat; sed & sursum serpendo genua quoque invadat, & manus labefactet, & coxæ articulos obruat, & denique in nucha humerisque & brachiis, suam absolvat captivitatem. Et hoc quidem videtur innuisse *Hebræus textus, secundùm annotationem Tremellij & Junii,* ubi habetur, *usque sursum morbus ejus.* i.e. donec serpens initiò pedum morbus etiam superiores partes corporis corrupit, & vitæ finem fecit.

Tamen ne in morbo quidem suo requisivit Jehovam.) Quod Ethnici à se confictis Diis suis, Apollini & Æsculapio tribuere consueverunt, quos utpote ἀλεξικάκους, ἀλεξιμόρους, ἀποτροπαίους, agnoverunt, ac proinde Apollinem Pæana, ἀπὸ τοῦ παύειν τὰς ἀνίας, sive à sedandis doloribus, nominârunt, & in morborum suorum curationibus devotè invocarunt, cum acclamatione: ἰὴ παιὰν, ἰὴ παιὰν, sana Pæan! sana Pæan! Qva intentione apud *Plautum. Mercat. act. IV. Sc. I.* eidem supplicat *Dorippa*:

Apollo quæso Te, ut des pacem propitius,
Salutem & sanitatem nostræ familiæ,
Meóque ut parcas gnato: parce propitius.

Namque & divinationē ei attribuerunt, quòd non præsentia tantùm sciret; sed & præterita in memoriam sibi revocaret, & futura prospiceret.

—Novit namque omnia Vates;
Quæ sint quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur.

Ut virgilius, ait lib. IV. Georg. sive, ut ante ipsum Homerus iliad. α.

Ἤδει γὰρ τά τ᾽ ἐόντα, τά τ᾽ ἐσσόμενα πρό τ᾽ ἐόντα.

De hoc nempe gloriatur Apollo ipse, apud Ovidium. metam. lib. I. fab. XIII.

Per me quod eritque fuitque,
Estque patet.

Hinc epitheta fatidici, veridici apud Poetas; Illud, meliora de Jehova & vero Deo edoctus *Asa*, in ægtitudine sua perperam oblivisci-

viscitur. Meminisse debebat dicti illius, quod habetur Exod. XV. v. 26. Ego Jehova Medicus tuus: & exemplorum eorum, qui precibus, ad Deum fusis, sanitatem recepissent: ut *Abimelechi*, Genes. XX. v. 7. & 17. *Mariæ sororis Mosis*. Numeror. 12. v. 13. *Percussorum* à *serpentibus* ignitis. c. 21. v. 8. & *Davidis*, Abavi; qui Psalmo 6. it. 31. 38. 91. 102. 106. & alibi satis contestatus fuerat, quantum momenti situm esset, ad sanitatem, in implorando auxilio divino: nec non Proavi *Salomonis*. Prov. 3. v. 2. 8. 16. & seqq. c. 4. v. 22. &c. Solus n. Deus creavit omnia, ut essent, & sanabiles fecit nationes orbis terrarum, & non est in illis pharmacum exitiale, sive medicamentum exterminii, Sap. 1. v. 14. Solus ille, cùm ambulaverimus per ignem, sive naturalem, sive eum, qui per intensissimos febrium æstus, aut calamitates se prodit, efficere potest, ne flamma nobis noceat: aut, si per aquas iter nobis sit faciendum, ut in transitu per mare rubrum contigit: aut inclementissimæ hyemis frigora perferenda, morbiq; hujus generis sustinendi, ne ab aquarum vorticibus absorbeamur: *Ille n. Jehovah, Deus noster, Israelis, Servator noster*. Esaiæ. 43. v. 27. 28. Et hoc modo Prophetæ, Christus & Apostoli non solùm omnis generis morbos sanarunt; sed & Petrus super aquas ambulavit, verbo Domini confisus. Rectè ergò Ecclesiasticus. 34. *Sæpe ad mortem usque periclitatus sum: & conservatus sum. Propterea spiritus vivet reverentium Dominum. Quùm spes eorum incumbat ei, qui servat ipsos. Qui reveretur Dominum nihil extimescit, neque expavescit; quia ille spes ipsius est. Reverentis Dominum anima beata est. Cui adhibet se, & quod est statumen illius? Oculi Domini intenti amantibus ipsum, protectio potentissima, & statumen valentissimum, tegmen ab æstu, tegmen, inquam, à meridiano, custodia ab offensione, & adjumentum in casum, exaltans animum & illustrans oculos, curationem afferens, vitam ac benedictionem.*

Sed hæsit Medicis) Non contrariantur sibi Deus & Medicus. Sic enim Ecclesiasticus. c. 38. *Da Medico locum, etenim ipsum creavit Dominus, neque absistito ab eo, etenim opus est eô. Est interdum tempus, cùm manibus eorum prosper successus advenit.* In quem enim usum Medicinam Deus creasset è terra, si non ejus usus esse deberet per Medicos in deperdita sanitate? Exprobratur itaquè hôc locô Regi, quòd adhæserit Medicis, Jehova neglecto. Adhærere n. est unicam suam fiduciam & spem in aliqua re collocare, & quasi cor suum eidem consecrare. Sicut enim auxilium potiùs petiit à Benhada-

hadado, contra Regem *Basanen* sive *Baësan*, quàm à Deo, propter quod ab *Hanani* acerbissimam reprehensionem audivit: ita non tam morbi relevationem quæsivit à Domino, à quô sperari poterat & debebat sanitas, quàm Medicorum artem & industriam. Pulchrè proinde, de rege *Asâ*, *Emanuel Thesaurus* ita loquitur: *Ad nobilem illam pestem, Medicis fortiorem, Medicorum manus implorat, non Dei.* Ipso *ridendus nomine, dum Medicus eget Medico.* Aliter *Ecclesiasticus, c.* 38. *v.* 2. *Ab Altissimo curatio est:* & v 9. *Fili, in tua valetudine ne despicias, sed ora Dominum & ipse curabit Te. Absiste à delicto, & manum in recto occupa, atque ab omni peccato cor munda. Exhibe odorem bonum, & suffitum conjunctum similâ, & pinguem orationem offer, ut qui non cœperis. Deinde Medico da locum.* Præcedat ergò divini auxilii imploratio, & pòst, hujus quoque favore confisi Medici suas exordiantur curationes. Quò etiam mihi jam liceat extendere *Aphorismum primum Hippocratis, sect.* 1. Non satis est Medicum suum fecisse officium, nisi & ægrotus & adstantes faciant; id est, nisi ægrotus etiam spem curationis suæ ponat in Deo salutari suo, & astantes quoque fiduciâ in Deum & precibus adjuvent Medici curationem. Conf. Matth. 9. Act. 14. v. 9. 10.

In qua cæteroquin methodo medendi constituta fuerit Medicina Hebræorum, id non adeò clarum est. Scripsisse plurimos de Medicina libros Salomonem, apud multos in confesso est, utpote qui disputare potuit à Cedro, quæ est in Libano, ad Hyssopum, quæ egreditur de pariete, & disseruit de jumentis, volucribus & reptilibus & piscibus. Cæterùm, libros illos, propterea, quod magis confiderent Judæi in medicamentorum viribus, quàm in Jehova, Ezechiam exussisse, quemadmodum & serpentem æneum, Dei quamvis jussu à Mose fabrefactum, Nehustan dictum, ex scriptura novimus. Legatur quoque de hac re *Josephus*. Discant inde Christiani Medici, quo pacto suas instituant curas, & ægri, ne in sui curatione infideles admittant. Si etiam *Asa*, etiam usus Medicis ex populo Dei, Jehovæ auxiliô non priùs requisito, nullam ab iis sensit opem; Quid futurum existimabit homo Chistianus, qui novit, quòd *JESUS* noster sit verus Salvator & Medicus, si in sui curationem requirat Judæum, qui non solùm dira quotidiè in Christianos emittit venenatorum votorum jacula: sed & *JESUM* Servatorem & Medicum nostrum unicum diris imprecationibus devovet, & eradicari nomen ipsius sanctum indies, prôh scelus! pestilenti ore precatur. Videant quoque *Christiani Medici*, quid

quid agant, dum, in consortium consultandi & curandi admissis medicis judæis, obstetricantur unâ ægris, annon, quod ipsi ædificant, illi destruant, & sicdifficiliores, imò planè noxias experiantur curas ? *Iosaphat Rex* pius, quòd inijsset fœdus cum *Achabo*, prodeunti in bellum contra *Ramathonem in Gilead*, magnam reprehensionem profectò à Deo meruit. Sic & naves ipsius eam ob causam fractæ sunt. *Sanette Iesus Christus* ! dixit *Petrus ad Æneam*, ab octo annis paralyticum. Hoc itaque ergon in curationibus Christianorum Medicorum esto, ut parergon tantò feliciòs succedat. Sed, quid hodie mortalibus familiarius, dum ægritudinibus occupantur, quàm adire judæos Medicos ? consulere eos perlotium prius, deinde etiam eorum uti remediis malunt, quàm Jehovæ auxilium petere, & Christiani dein Medici fiducia adimplere pectus. Da gilt der Juden-Doctor mehr / als ein rechtschaffener Christ. Quorum tamen mens est & intentio primaria, ne ullus vivat Christianus; sed cum ipsorum *IESV* etiam memoria eorum deleatur. Qua pietate itaque admittantur & acceptentur ab ægris recutiti illi Medici, & qua honestate cum illis deliberent Christiani, jam facile colligi potest. Notent etiam Christiani Medici effatum judæorum : Optimum Medicorum mereri gehennam, docente id nos præfato celeberrimo Dn. Prof. Clodio ex Kiddușchin. fol. 82. quæ ergò cum illis conversandi pessima consuetudo ? Operatur porrò Medicina non ex opere operato : sed, uti non solo pane vivit homo; sed ex omni verbo prodeunte ex ore Jehovæ; ita quoque Medicina suam habet & nanciscitur benedictionem, à JESV CRISTO gloriosissimo nostro Archiatro, in cujus oblivione tot morbi incurabiles, tot infelices morborum eventus, tot mortes : Quia verbum Dei, sive benedictio in rebus latens, abhorret & se retrahit à verbi æterni osoribus. Honestè tractandam Medicinam *Hippocrates* in juramento inculcavit, quæ verò ab illorum Servatoris nostri calumniatorum commercio honestas speranda sit, equidem nemo non videt. Sed, nondum omninò carent patronis judæi, carnifices, tonsores, vetulæ superstitiosæ & idgenus turba alia. Interim plurimos notavimus, qui talium mercenariorum consiliô usi nihil retulerunt, nisi damnum antiquum : Et si aliquid ab incredulis sæpe sentiunt levamiuis ; ad tempus tamen id fieri credendum, ut in pessima persuasione tantò magis confirmentur, pœnam sic dictante infidelitati D E O. Quò etiam pertinent illi, qui à Diabolo auxilium petunt, & hujus asseclis. Ite jam Respublicæ, & vestræ ignaviæ veternum excutite, dum frena laxatis Judæis, & hos

in corporum vestrorum tutelam adsciscitis. *Ergóne non est Deus alius, quàm ut eatis ad Baal Sebub, Deum Ekronis?* Si sic perrexeritis, & de vobis & Christianis Medicis, quorum intereſt, rectiùs tueri honorem Medicum, actum erit.

Denique occumbens Aſa cum Patribus ſuis motuus eſt.) Cùm diu ægrotavimus, morimur. Mors ſtipendium eſt peccati.. Contagium pomi vetiti à primis noſtris parentibus in omnes tranſiit; unde & lex prima omnes effecit reos: *Quâcunque die comeſtus fueris de ligno ſcientiæ boni & mali, morte morieris.* Mortuus eſt *Adam & Patriarchæ* : & qui in ſummâ dignitate conſtituti, vel Deos ſe mentiuntur, à moriendi neceſſitate exempti non ſunt. Eadem Regis & pauperis conditio. Leti ſolùm via diſpar. Quot morbi, tot ad mortem viæ. Cœlum, Elementa, & quæ in iis ſunt minantur corruptionem. Imò, quot in corpore noſtro pori, tot morti reſeratæ ſtant portæ, ut invadat pios ſimul & impios, fortes ac imbelles, juvenes ac ſenes, pueros & virgines, divites & inopes. Et ſi vel maximè homo totum compleat millenarium, quem verò neminem attigiſſe, ex ſcripturâ novimus; tandem tamen mortis falce pereundum eſt. Quin &, licet inter benedictionis divinæ argumenta reputetur, longam eamque validam & ſanam aſſequi ætatem, & cum pace tumbæ inferri: non raro tamen diu vivere eſt diu torqueri; ſiquidem beatiores ſæpè reputandi, qui maturè in Deo occumbunt, quàm qui multorum annorum ſerie inſtructi, cana tempora, variis mundi perituri experimentis ſive decorata, ſive defœdata extremam infelici leto prædam reliquêre. De his. n. verum eſt, quod *Democrates ait, apud Porphyrium, de Abſtinentiâ Antiquorum: Vivere imprudenter, intemperanter, impiè, non tam malè vivere eſt, quàm diu mori.* De *Aſa* hoc notandum exiſtimo, quòd ex Podagra inanem hodiernorum podagricorum ſpem haud ſtabiliverit, & conſecutus fuerit. Exiſtimant enim multi, Arthritidem à multis malis ac morbis aliis præſervare, & robuſtioris naturæ indicium eſſe, quòd vitioſos in corpore humores, è regiis & publicis viis, ad extremas & ignobiliores corporis partes depellat: imò de vitâ ægros non periclitari in Arthritide, ut in aliis morbis. Haud enim vulgares Medici cenſent: Podagram ſæpè ad diuturnitatem vitæ facere, referente *Sennertô, in conſolatione medicâ ſuper Arthritide.* Fortè etiã, quia Hippocrates Podagram chronicis morbis accenſet. *Aſa* triennio ſuam complevit tragœdiam, in

creſcen-

crescentibus vehementissimè doloribus, & Deo Medicorum curas haud benedicente, sive consilia eorum eludente, aut pervertente. Siquidem & his sæpe conturbationes oriuntur, secundùm illud *Esaiæ octavo*, *v.* 10. *Inite consilium & irritum fiet, loquimini verbum & non existet.* Quod, uti non rarò fit, Deô non secundante consilia, & consultorum animos falsis persuasionibus excœcante, aut in diversa trahente, uti fiebat, 1. Reg. 22. v. 22. Ita in hoc casu quoque contingere potuit, præprimis, quòd Medicis, fortè infallibilia suadentibus adhæserit, Deo in consilium priùs non vocato. Multitudo Medicorum à se discrepantium noxia: & quolibet non pro Dei honore, & ægri emolumento; sed in proprium commodum, arroganter sibi primas tribuente, magni sæpe contingunt errores, nedum ipsum letum sequitur. Quô prospectô, *Antoninus Imperator*: Multitudo Medicorum me perdidit. Quod tamen sic intelligendum existimo, non, ac si cōsultationes damnē medicas, quas omninò necessarias esse antiquitas approbavit & hodierna consuetudo: sed si ægri modò hunc, modò alium accersant & sepositis sanis consultationibus, diversos privatim experiantur, non satis morbo ejusque causis examinatis. Quin & invidet sæpè Medicus Medico, ut figulus figulo, & dum quilibet alterius existimationem præoccupare contendit, suaque præ cæteris jactat, jam plaustra & rotæ consultationum Medicarum colliduntur, velut in mari rubro Ægyptiorum armatura & exercitus, ægerque in periculo est. Rectè ergò prælaudatus *Dominus Sennertus, loco citato,* quòd *Arthritis, si malè curetur, & natura succumbat, noxios humores expellere nescia, mortem acceleret.*

Anno quadragesimo primo, ex quo regnare cœpit Quid commentarii locô hûc afferam, haud liquet. Non memoratur annus, â quo vixit, sive summa totius vitæ; sed Regni. An quia à juventute commodè & belle vixit, donec ad sceptra admissus; & post decennale Imperium in otio & quiete degens, vitæ & regni curas sentire cæpit. Certum enim est, Principes, & qui cæteris præsunt, sæpè curarum montibus obrui, & myriadas molestiarum pati. Deum immortalem! quot insomnes ducunt noctes! quot inquietos insumunt dies! quæ non hora, quâ non eorū animus in diversū trahatur, modò ad iram, modò metum? quæ lætitia, quæ non mediô in cursu sæpe inhibeatur? quæ spes, quam non sequior eventus corrumpat? quæ refectio denique ex cibo & potu, & formæ blandimentis,

qui-

quibus aulæ abundant in luxum, in quâ non exceſſus oboriatur. Haud itaque mirum, penſitatis his omnibus, *Podagram* potentiorum & divitum appellari morbum, in quibus utpote prænominatæ occaſiones facilè concurrunt, & effectum ſibi conformem producunt. Quod & ſuperiùs memorata exempla *de Auguſto, Galbâ, Herode* &c. confirmarunt & avorum temporibus *Carolus V. Imperator, Henricus IV. Galliarum Rex* & alii, etiam hodiernô Pontifice in horum cenſum condeſcendente. Et tantum de Sacris.

TRACTATIO MEDICA.

P*Odagra* nomen hoc tempore generale eſt. Quamvis enim inter Arthritidis tres ſpecies, *pedum captura* ſolùm propriè & ſpecialiter appellatur *Podagra*, [ſiquidem παρὰ τὸ ἀγρεύειν τοὺς πόδας, vel quaſi τῶν ποδῶν ἄγρα, captura ſeu venatio pedum dicitur, unde propriè *Podagra* eſt pedicula ſeu tendicula, qua animalia capiuntur pedibus; ſicut *Chiragra* manuum & *Iſchias* quæ barbaris *Schiatica* dicitur, ſedem habet ad ſummam natem, quâ nervi à lumbis & ab oſſe ſacro emergentes feruntur in crura;] Abuſivè tamen & impropriè nomen *Podagræ* non ſolùm ad pedum dolores applicatur; ſed etiam ad aliorum articulorum dolores extenditur, adeò, ut dum ſurſum fertur à pedibus, per vertebras dorſi ad usque cervicem, & inde maxillarum & temporum dorſique & thoracis muſculi, cum diſtenſione afficiuntur, renibusque & veſicæ malum hoc communicatur, & denique omnia, nares, aures, labia & fauces, capitis ſuturæ, totaque oſſium & corporis compages, in doloris communionem trahuntur, etſi interna viſcera nullam habeant articulationem; tamen taliter affecti, *Podagrâ* ſæpè laborare dicantur: vel, quia à *Podagrâ*, tanquam à primâ cauſâ, harum partium ſymptomata ſucceſſere: vel quia hæ partes interdum primò laborant, à quibus, niſi protinùs malum in articulos ſegregetur, ægris periculum imminet. Quô pactô jecur & lienem articularibus morbis laborare interdum, à *Paulo Æginetâ* proditum *eſt libr. 3. c. 78.* *Hinc & Paracelſus*: Ein jeglicher / der do empfindet Flüß gegen den Füſſen / oder Händen / oder Hüfften / oder ander Gleich / das iſt / ein Gleichen-Wehe / mit gantzer Haut / groß Wehtag mit Geſchwulſt / Rött / mit unluſt zu eſſen / mit abwechſelung der Glieder / denſelben heiſt Podagricum, und obs ſchon gleich nicht allein an Füſſen / oder nicht allein an Händen / oder nicht allein an andern Gleichen

Gleichen wäre / sondern an mehr Enden/so sag / daß die einige Kranckheit sey: oder ob sie nicht in allen/ allein in einem wäre/sag aber/ daß die einige Kranckheit sey. Sed tunc fortè meliùs Podagra arthritica, vel arthritis podagrica appellari potest. Sanè, invaluit etiã usus apud non nullos Medicos, ut dolores dentium vocent dentium podagrã, prout de eâ integrum libellum scripsit *Johann Stephanus Strobelbergerus.* Maluerunt tamen alii podagræ nomen determinare, per additionem partis affectæ, & appellare, exempl. gr. *Gonagram*, quæ genuum, *Pechiagram* que cubiti, *Rhachisagram*, quæ spinæ dorsi, *Cleisagram*, quæ jugulorum, *Omagram*, quæ humeri cum scapulis, *Trachelagram*, quæ coxendicum, δακτυλαγραm, quæ digitorum, σφυροναγραm, quæ talorum articulos divexat infestatque. At, cùm Græcis olim illa nomina fuerint incognita, neque hodié ad usum adeò admittantur. In verbis simus faciles, modò de rebus constet.

Variis verò nõinibus & titulis gaudet *Podagra*. Aliquãdo appellatur *Gutta*, forte à destillationibus sumptâ analogiâ, ubi *Gutta* post *Guttã* in vas recipiens delabitur, & quia universa Medentium Schola à catarrhis & destillationibus eandẽ duxit: vel, quia successivè lædendo, & dolores excitando, erodit cum ebullitione partes recipientes, sicut aquæ fortis gutta argenteo nummo affusa: sive, ut in proverbiô dicitur: *Gutta cavat lapidem, non vi, sed sæpe cadendo.* Veruntamen, cùm Germanis *Apoplexia* appelletur der Tropff / proinde *Paracelsus Guttæ* vocabulum potiùs applicat *Apoplexiæ* & morbis congeneribus, quàm *Podagricis*. Appellat enim Guttam, Synoviam suæ partis, à quâ procedit: Synoviam verò, partis suæ nutrimentum, & conservationem retentivæ & motivæ virtutis, ex viribus virtutis digestivæ. Unde, secundùm eundem, Synovia habet virtutem attractivam, retentivam & motivam. Ex gr. quiquid renes attrahunt, attrahit ipsis Synovia, hoc est, cœlum inferius, radix & ipsa Essentia vitæ, à *Fernelio* spiritus insitus dicta. Quando verò Synovia separatur à parte aliquâ, tunc statim insensibilitatem facit, & privationem motus, quem sequitur aut *Apoplexia* aut *Paralysis*. Ac propterea guttam in microcosmo ait esse idem, quod fulmen in macrocosmo. Quemadmodum enim fulmen liquefacit ferrum, salvâ manente substantiâ, vel remanente corpore ferri: ita quoque Guttam liquefacere, non quidem corporaliter; sed spiritualiter, cerebrum, cor, pulmones, quasi ceram abigne liquefactam, & in massam compactam, partibus illis salvis manentibus: à cerebri deinde arce vel vertice ferire membra exteriora, manus & pedes, & consume-

re & comburere vim virtutemque sensitivam & motivam illius membri: neque aliter ferire linguam, & sequi privationem loquelæ, salvâ manente substantiâ, non verò officio linguæ. Idem de cæteris corporis partibus & membris sentit. Hâctenus ex *Paracelso*. Ex quibus facilè colligere licet differentiam *Guttæ Paracelsi*, à *Guttâ Galenicorum*; cùm hæc pedetentim articulorum læsionem per stata tempora & recrudescentes paroxismos inducat, absque membri totali mortificatione, sed cum doloribus: illa verò sensum & motum auferat totaliter, & partis læsæ actiones tollat. Cùm verò sæpè eadem nomina diversis imponantur rebus, & ex *Guttâ Dogmaticorum*, processu temporis *Gutta Paracelsi* pullulare queat, cuilibet suam relinquimus authoritatem, modò de genuino utriusque sensu constet. Nam & *Galli* secuti *Dogmaticos*, *les Guttes* appellant *Podagram*, de quâ sic *Moscherosch*: Die Frantzosen nennen es les Guttes, das Tröpfflein. Ich will lieber sagen das Schöpfflein/als das Tröpfflein. Aber viel Tropffen geben auch einen Schopffen. Darumb hüte dich für dem Tröpffen/so wird dich das Podagram nicht mehr zopffen. Notamus hîc solùm obiter: Esse in *Moscoviâ* tormenti quoddam genus, ubi delinquentibus caput radunt, & postmodùm guttam glaciei liquefactæ capiti instillant, quam tam intolerabiles excitare dolores ajunt, ut impossibile sit, quenquam ultra novem guttas successivè deciduas tolerare, quò minùs delicta omnia fateatur, aut intensissimô guttarum frigore subitò extinguatur. Quantum enim damni ex glacie, capitis vertici impositâ, exsurgat, intempestiva nuperrimi *Austriæ* Archiducis & insperata, Germanoque orbi satis funesta mors demonstravit.

Germanis Podagra quoque appellatur das Zipperle / fortè deductô vocabulô à latino *Cippus*, qua ægri in hoc morbo non aliter afficiuntur, ac qui Cippo mancipantur, als wann man einen Ubelthäter in einen Stock legt: vel ab Hebræo שבר Schafar. i. e. fregit; unde & aliud germanicum verbum, schiffern. Dolor enim arthriticus acerbissimus est, & maximè sensibilis, ut proinde nuper in eum non minùs scitè, quàm jucundè magni nominis Princeps tali carmine luserit.

Es leidet keiner gern viel Stich und Nasengrüblen/
Er kan es seinem Freund zuweilen auch verüblen/
Jedoch Empfindlichkeit wol keinen ärger juckt/
Als den das Podagram an beyden Füssen truckt.

Vires

Vires enim totius corporis frangit. Hinc *Moscherosch*, introducens *Podagricum*, inquit: Das Podagram das grambt/und zi zi zi zipert mir die Glieder der massen/ daß ich möcht von Sinnen kommen. Alii tamen à Cypride deducunt, secundum illud:

Et quoniam à Cypria veneris venit illa furore,
Nomen ab hâc Cypria nobile matre tulit.

Sic liceat & hîc experiri *Johannis Matthæi Gradii* sententiam, quæ meritò propter singularitatem vel ridicula vel suspecta esse possit. Ita v. ille in *commentario super Rhasen*: Artetica seu arthritis, ab artos, quod est junctura, & teneo tenes, quasi idem sonat, quod dolor tenens artus. *Chiragra* dicitur à Chiros, quod est manus, & gradior graderis, quasi super gradiens manus. Sic & *Podagra* audit, quasi dolor pedum super gradiens. Sed ad peniciem Græcæ deductionis à latere etiam positæ esse videntur hæ derivationes. Vel n. dictus Author Græcanicæ linguæ ignarus fuit, vel sarcastico hæc scripsisse animo credendus est, cùm vel in vulgus notum sit, Medicinam à Græcis ad Romanos, cum eaque podagræ chiragræque nomen traductum esse.

Nonnullis der reichen Leuth Kranckheit / sive Heroum tortura: denominatione desumptâ à potiori, non quasi pauperes omninò non invadat; Sed, quòd potissimùm, & ut plurimùm divitum intret palatia, secundùm illud.

Nil manibus tangit, pedibus nec nititur ipsis,
Et tamen Heroum celsa theatra subit.

Inter quos neque Cæsarum sceptris, neque Regum diademati parcit. Pedum tangit Episcoporum: Paparum invadit, cæteroquin osculo abipsis destinatos pedes: Cardinalium invadit purpuram: Non Duces, non Principes, non Doctores, non Prædicatores, non Monasteria tuta: non cellæ, non pulpita, non suggestus, ab ipsâ immunia: captura hæc ubique reperitur. *Alciatus* sic:

Diva beatorum domitrix, inopesque perosa,
Quæ lautè vitam ducere ubique soles,
Et gaudes residens alienis invida plantis,
Stant unguenta tuis sertaque texta comis,
Et larga Ausonii Te oblectant pocula Bacchi,
Quorum pauperibus copia nulla domi est.
Ergò inopum meritò scrupos, loca & aspera vitas,
Divitis in pedibus sed bene culta sedes.

Quò etiam referri potest apologus, de peregrinatione araneæ & podagræ:

græ. Cùm enim hic affectus ex otio, luxu atque libidine generetur, rarò pauperum tabernas frequentare solet. Secundùm illud:

Λυσιμελοῦς Βάκχου, καὶ λυσιμελοῦς ἀφροδίτης
γεννᾶται θυγάτηρ λυσιμελὴς ποδάγρα.

E solvilumba Venere solvilumboque Baccho, creata est solvilumba Podagra.

Fortè neque huc malè quadrat *dicterium Rabbinorum*: *Tria sunt, quæ nos in potestatem Podagræ perducunt: calceus angustus, lectus brevior, & venus immodica.* Invenitur tamen adhuc alia ratio apud Rabbinos, ob quam *Podagra* divitum morbus appellari queat. Sic enim legitur, docente id nos *præfato Excellentissimo Domino Professore Clodiô* in Talmud Babylonico, in tr. Schabbat c. 6. fol. 65. col. 1. Mulier si egreditur in Sabbatho, sive cum monetâ super הצינית cùm autem Talmud Hierosolymitanum illud הצינית expresserit in historiâ & morbo Asæ per פודגרא, conjectura haud levis inde suboritur, in Podagræ medicinam olim etiam monetam adhibitam fuisse. Quæ sanè medela faciliùs ab opulentis & divitibus, quàm pauperibus adhiberi potuit. In quo summi Dei æquitas deprehendi possit, quòd talem immittat morbum non nisi iis, qui medelam metallinam applicare quoque queant. Hactenus ille. Cui si divinare licet, hæc subesse ratio posset, quòd argentum, & Medicinæ ex eo conflatæ prosint nervis, & magnam refrigerandi, & acidum podagricum coërcendi vim habeant, ob naturam mercurialem, in argento magis extraversam.

Aliis verò etiam gaudet honorum titulis, dum appellatur *Luciano*: *Gaudens nodis, humilectipeta, cursiveta, talorum tortrix, calci crematrix, malè humitanga, pistilli sonum timens, genufraga, insomnis, circa articulos tophos inserendi cupida, curvigenuflexa Podagra.* Et quis omnia enarrare poterit, sive seria sive jocosa nomina, quibus podagrici & ipsa Podagra sæpius exagitantur? Hinc & Germani non desiére ludere in podagram, ut proinde nonnemo vocarit: Ein knöchellliebendes/Gleichübendes/Betthütendes/Stubenwütendes/hart starck-Krümmendes/Fersen-peinigendes/Fußsolen-brennendes/Zehen-zwick-zwackendes / leise-tretendes / spitz-stein-hassendes/Bein-mürbmachendes/ Knie-brechendes/lotter-strümpffhafftes/Schu-schnit-geweitertes/ durchs Marck leuchtendes/Geblüt-gebornes Fräulein. Ipsos verò podagricos, lamentes, snappentes, hinckentes, leisentes, beltzige & hornibus duriores pedes habentes,

Qui verò his aliisque titulis, si non scommata sunt, delectantur, illi legant *Johannis Michaëlis Moscheroschii, sive Philandri à Sittenwvalt, libri. 2.* visionum visionem quintam, *Emplastrum contra Podagram, dictam*; & habebit, unde sarcasmis & illusionibus malè assuetam mentem exsatiare queat. Sed valeant delusiones ægrorum! Pereant sarcasmi! Nobis alia longè hoc loco mens est, quàm ut eosdem in scenam ridiculè protrahamus, & quanta ex invisâ Podagrâ hauriant commoda, quibus ferè omnibus artibus & scientiis initientur, prolixo recenseamus sermone, memores illius, quod vulgò dicitur: *In tuum ipsius sinum inspue, ne malorum aliorum exprobratione & insectatione domesticorum aliquando malorum admonearis.* Ubique confert, ut te ipsum noveris: Multi dum curiosè aliorum acutè cernunt vitia, immemores manticæ, quod in tergo est, similibus fortè & morbis & vitiis obnoxii sunt: quæ hodierna non docet dies, sequens fortè docebit. Secum itaque quisque habitet, ut nôrit, quàm sit sibi ipsi curta supellex. *conf. Sir. c.* 10.

De Podagrâ itaque dicturus, Arthritidis eam speciem esse statuo, quæ pedibus dolores infert, & quidem eorum potissimùm articulis horumque partibus sensibilibus, inprimis v. membranis, tanquam tangendi organis. Licet totus homo subjectum sit, quod compatitur.

Variè v. hîc inter se diffident *Authores*, inquirendo, an sit morbus, & qualis: an verò Symptoma? Sunt enim nonnulli, qui eam dicunt morbum intemperiei cum materia: alii morbum partium organicarum: alii morbum solutæ unitatis & huic fere omnes medentum Scholæ auscultant. Sunt verò etiam alii, qui omnia, quæ *Podagrici* patiuntur, symptomata dicunt. Cùm enim, *teste Fernelio*, morborum universa cohors vel à Symptomatibus, vel loco affecto sua acceperit nomina, & morbi non reperiantur, nisi in viventibus, in temperies verò, sive cum, sive sine materiâ, ut plurimùm vel præcedant, vel sequantur morbum, ut & solutæ per causas internas unitates, & tumores; hinc *Helmontius* morborum aliam rationem indagandam censuit, quæ consisteret in connexione causæ occasionalis ad spiritum vitæ, unde hic, pro variè conceptâ ideâ, varias quoque produceret exorbitationes, & pro harum conditione diversos quoque fructus.

Ne tamen hoc loco antiquitatis me opponam cultoribus, non invidebo illis suas opiniones, qui sive morbum intemperiei, sive partium organicarum, sive solutæ unitatis Podagram existimant, diversus enim considerandi modus omnem tollit oppositionem, modò, quæ dicun-

dicuntur veritati consentiant, rectè intelligantur & discernantur. *Robertus de Fluctibus*, morborum rationibus è *Ventis & Angelis, ventorum* præsidibus deductis, *Podagram* sub leprâ comprehendit, cujus profert rationem, quòd Podagra & præcipuè rebellis illa, quæ nodosa dicitur & gypsea, materiæ suæ soliditatem & grossitiem, ratione virtutis constrictivæ, septentrionis proprietatem nacta, à consistentiâ leprosâ non multùm distet, præterquàm, quòd ad nervorum, artuum & membranarum meditullium penetraverit, ibique locum & sedem suam fixam & profundam teneat. Septentrionalem verò proprietatem ejus deducit ex eo, quòd se illa materia gypseâ more cinerum habeat, quæ frigore non sine suo sale concreta sit. At, si de vento opposito, videlicet Australi, & Eurô-Australi: vel illo transversali, videlicet Eurô participet, eò quidem calidiorem & infestiorem esse dolorem. Sic enim in macrocosmo, tam in plagâ septentrionali lapides ceraunios procreari, quàm in plagis calidis, sive sint meridionales sive orientales: atque hinc fieri, ut non modò dolores secum ferant, cum inflammationibus febrium comitibus, uti *Asæ Regi Judæ* &c. notandum tamen, quòd, uti lepra duplex est, alia munda & alia immunda, podagram sub leprâ mundâ comprehendat.

Georgius Henischius Medicus Augustanus, *Commentariô in Aretæum*, *Arthritidem Lui Venereæ* affinem facit & cognatam, eò, quòd & hæc ossium dolores excitet, licet in diversis locis. Arthritidem infestare membranas articulos investientes: Luem veneream verò membranas, quæ medias partes ossium sive artuum constituunt. Atque hinc pudendagram appellare non fuit veritus. Et sanè, utraque Veneris proles est, ut proinde, ob cognationem omninò viri boni in id intendere debeant, ne nimium genio indulgentes, & sensibus, dulcia suadentibus, obtemperantes, podagrici fiant, & sic cum lue venereâ aut leprâ sororiare credi queant.

Neque minùs cum *Scelotyrbe* in multis participat, nisi quòd hæc non ita vehementer excruciet; sed tacito magis gressu suam absolvat delassando tragædiam, & ossifragium inadvertendo ferè introducat; licet & in eâ sint oris & gingivarum fœtores, pruritus, laxitates, dentium vacillationes, tibiarum discolores maculæ, nervorum resolutiones, crurumque totius corporis lassitudines. Quô verò pactô diserni possit ab Erysipelate, jam in confesso est, licet simul coincidere queant, & sæpè sub honestiori Erysipelatis pallio tegatur. *Ad causas me convento.*

Sener-

Senertus, perpensis variis de *Podagræ causâ* sententiis, tandem acquiescit in humore aliquo salso, acri, subtili, spirituum salinorum naturam plerumque referente. Et hinc arthritidis causam deducit ex salso aliquo, quod mineralibus respondeat, & non incommodè sal terræ appellari possit, in omnibus alimentis reperibile. Ideoque censet: sal hoc, licet variis coctionibus in homine volatile fiat, nisi mox per alvum coctione excernatur & posteà per sudores vel urinam evacuetur, cumulari, & ita naturæ molestum factum ad articulos protrudi, atque sic suâ acrimoniâ acutissimos excitare dolores, usque dum, effervescentiâ compositâ, coaguletur atque figatur in Synoviâ, more spirituum acidorum, qui naturâ volatiliores, facilimè nihilominùs lixiviosis salibus, & per ea fixationi auscultant.

Variè de Podagrâ sentit *Paracelsus*. Mox enim Sulphur accensum in glutine eam nominat: mox accensam frigiditatem in Synoviâ asserere videtur: alibi tartareis morbis annumerat Podagram, seu morbis salis mineralis, seu liquoris acetosi. Ubi comprehensis sub Tartaro omnium salium speciebus, aluminis, vitrioli, salis petræ, communis, gemmæ, maris, berberum, acatiæ, &c. diversitatem dolorum signorumque podagricorum, pro naturâ horum salium variare asserit, imò, viâ hæreditaria, cibô & potu, astralique influentia, has salium species in nobis generari, constanter ubique affirmat. Quâ de re legatur ipsius de podagra libellus, ad quem lectorem remittimus. *Hippocrati*, libro de affectionibus, hic morbus ex bile & pituita oritur, cùm nempe hi humores agitati ad articulos decubuerint; quod, iteratis ibidem de pedum dolore verbis, confirmare videtur, dum, *Estque hic morbus*, inquit, *sanguinis à bile ex pituitâ corrupti, qui quò magis tenues venulas corporique plurimùm necessarias vias, ossa multa ac crebra subierit; eò sanè tum stabilior morbus est & gravis, minimè tamen lethalis.*

Ejusdem ferè sententiæ est *Galenus*, cujus ideòque verba libro 10. de compositione Medicam. p. m. 167. & 68. de ischiade, podagra & arthritide, apponere libuit, sic ille: *communem habent hi tres affectus redundantiam humoris. Aliquando irruens humor sanguineus est, ut plurimùm autem pituitosus, aut ex pituitoso & bilioso mistus, quibus etiam interdum miscetur sanguis.* Porrò, *ubi pituitosus humor, qui propriè appellatur crudus, in articulis delituerit diutius; crassior atque viscosior efficitur, tophisque & callis dictis præbet generationem. Qui quidem, postquàm producti fuerint, non est quod speres, humores illos posse exactè dissol-*

vi.

vi. Differentia affligentium humorum facilè ex colore dignoscitur. Præterea biliosus sanguis multæ caliditatis sensum exhibet ægrotanti, à calorificisque remediis exacerbatur; quemadmodum remittitur rursus à frigidis.

Cæterùm, ut *hic* in humoribus acquiescit: ita *ille* alibi, non calidum, non frigidum, humidum & siccum hominem lædere fatetur, quòd magnam per se vim habere has qualitates neget, nisi simul fuerit in illis acerbum, acidum & amarum, prout est *in libro de veteri Medicinâ.* Quæ uti consideratu dignissima sunt, ita meritò lectorem philiatrum pro exploranda veritatis semita, ad accuratam eorum expensionem, allicere debent, ut sitientem recreare animum possit.

Ex antiquis porrò *Rhasis* & Commentator ejus *Johannes Arcularius*, ad defluxiones se converterunt, ideoque illorum sententia tota defluxionibus humorum, stillicidiisque desuper incumbentibus referta est. Vel enim ipsis in causa est sanguis, mistus cum cholera, phlegmate, melancholia: vel mala complexio sine materia, eaq; vel calida, frigida aut sicca, habitô respectu ad triplicitatem doloris, qui est vel pungitivus vel tensivus, vel pulsativus: vel phlegma purum dulce, aut crudum, aut mucilaginosum, aut alterius speciei: vel sanguis purus, rarò cholera, rarissimè melancholia. Imò & ventositates ipsis causæ ratione veniunt, & apostemata, & variæ, innumeræ dicam, primæ, secundæ & tertiæ coctionis cacochymiæ. Quæ omnia fusiori typo descripta vide, sub titulo de dolore juncturarum, ubi & aëra veneremque & Bacchum accusant. Sed, dum omnium morborum receptas ex humoribus causas sic ferè recensuerunt, etiam podagræ polentam fortè suam, in tanta occasionalium frequentia, invenerunt.

Proximam continentemque omnis arthritidis ac doloris podagrici causam esse, non simplicem ullam intemperiem; sed humorem præter naturam, parti sive infixum sive adhærentem, qui sæpè tumore manifesto se prodat, *statuit Fernelius, de partium morbis & symptomatibus. libr. 6. c.* 18. *p. m.* 310. Antecedentem verò cum aliis humorem esse statuit, qui aliunde in imbecillos articulos aut influat, aut influxurus sit, neque tamen hunc vel sanguinem biliosum aut melancholicum unquam esse; sed omninò vel pituitosum vel serosum, De terminô verò à quô itidem solicitus est, dum errare illos omnes asserit, qui ex intimis illum partibus in articulos erumpere putent. Siquidem impossibile sit, humorem aliquem, qui perfectè anteà sanguini mistus erat, absque alterius connubio, per ora venarum purum excidere posse. Sic neque etiam cruditatem in cachexia, è visceribus

in

in pedes incumbentem, ut tumeſcant, podagram efficere. Aliam itaque inquirit arthritidis originem, caput inquam, è quo pituitoſus tenuisque humor profluat in articulos, propterea, quòd venæ multæ, ab externis jugularibus deductæ, excrementa ſua tenuia atque ſeroſa deponant in partes capitis externas, & extra calvam poſitas, è quibus ſupervacaneus humor, per ſumma corporis, ſub cute deorſum decurrat, vel ſponte, vel leviſſimâ frigoris, æſtus, frictionisque occaſione motus; atque tum, ſi incitatus humor in dextrum latus decumbat, dextrum humerum brachiumque: ſin in ſiniſtrum, ſiniſtrum dolor occupet. Et ſic in dorſum, cervicem, ſcapulas, coxendices & crura fluxiones & dolores porrò concitari exiſtimat. Quia verò tenuis admodùm humor ſit, ei perſimilis, quem frigidiore cœlo per nares fluere comperimus; ideò non in mediis regionibus, quæ amplæ laxæque ſunt, ſed in ſolis, qui compacti denſique ſunt, articulis ſubſiſtere, ibique tragœdiæ ſuæ ſcenam fortiter explicare. Tandem impactum articulo humorem caloris noſtri vehementiorumque medicamentorum vi craſſeſcere, & parte tenui diſſipatâ, fecem quandam remanentem tophos calculosque conſtituere. *Sic Fernelius.*

Ex accuratioribus etiam viris Medicis ac Philoſophis, quorum ſingularis experientia fidem mereri, praxisque in curandâ podagrâ felicior boni aliquid præ ſe ferre videtur, vixit, *C N E V F F E L I V S, Divo Caſimiro Poloniæ quondam* Regi, *Arciſſevio, aliisque Nobilibus Batavis, quos ab Arthritide podagricâ liberavit, celebris.* Is, uti tribus principiis, ſale, ſulphure & mercurio, à capitis mortui adhærentia fecibusque ſeparatis microcoſmum hominem nutriri & conſervari aſſeruit; ita heterogeneis iis, neque probè depuratis, diſſolvi iterum, delinquente archeô, corpus, & morbis obnoxium fieri, æquum duxit. Ex eo ergò fundamentô ad *Arciſſevium: Salem*, inquit, *niſi in tertiâ coctione per urinam, ſive propriam ſingulis partibus digeſtionem quartam, unâ cum cruore ſeparetur vel madore, verberari in acrimoniam & confundi cum partibus mercurialibus; hinc ſal acrius & groſſius tandem reddi, & ſanguine demum cum carnoſis partibus id ægrè ferente ad articulationum cavernas & receptacula deponi in tartarum juncturarum, eumque ſenſim & annuatim auctum, acrimoniâ ſui ſalis, partes membranoſas paulatim ferire & erodere: imò certis temporibus cum dulci articulorum ſale, ſynoviâ, inſpumeſcere, commotoque febrili paroxiſmô, dolores & coagulationes ita proſilire, annuatim figi, & in tophos, nodos ſeu lapides degenerare ſolvi difficilimos. Rhumelius* deniq;

originem arthriticorum affectuum deduxit ex ſale naturæ reſoluto volatili, ſive mercuriali: de podagra v. eſſe morbum tartareum, ex genere venoſo evaporatione in cerebro primùm excitatum, dein in artus præcipitatum, & propter diſtantiam à corde, ob imbecillitatem caloris ibidem coagulatum, dolores excitantem.

Verùm enim verò, conſideratis his opinionibus tam diverſa ſuadentibus, fit mihi certè timor, & pavida trepidat formidine pectus, dum procul dubio veriora quidam, veritati minùs conſona alii protulêre. An verò defenſum irem eos, quorum etiam vel memoriam aliis inviſam eſſe certum eſt? an illorum exprobrarem monumenta, à quibus prima artis initia jacta fuiſſe cognovi? utrumque abſit. Haud ſiquidem mihi animus eſt, reprehendere Veterum labores, aut Neotericorum ridere curioſitates. Sit cuique ſuæ induſtriæ laus. Alia ætas alia dat experimenta, alias loquendi & diſcurrendi occaſiones circa ea, & alias proinde ſuppeditat ſæpe rationes. Neque enim ſtatim diſſentire cenſendi ſunt in fundamento, qui aliis utuntur terminis. Optimè id ſiqudem docuit *Sennertus*, *in conſenſu & diſſenſu Chymicorum & Galenicorum*; apparensque diſſenſus multoties pulcherrimam tandem manifeſtavit, poſt ſedulas diſcuſſiones, harmoniam. Atque hinc etiam factum eſt, ut plurimi hærentes in calidi, frigidi, humidi & ſicci terminis, paululùm latiùs diſceſſerint à morborum exquiſitis cauſis, remotas eligentes pro propinquis, aut effectus ſubſtituentes pro cauſis: alii dein acidum, amarum, ponticum & ſalſum, inſipidum & ejusmodi alia olfacientes, ſubſtituerint ſauguinem, bilem, pituitam & melancholiam: Alii porrò ulteriùs inquirentes in *Hippocratis* verba, *Acidum & Alcali*, ie. ſal lixivum elegerint pro ſanitatis & morborum fundamentis: vel, uti aliter quoque *Hippocrates* loquitur, ignem & aquam; de quibus, & quo ſenſu, *Acidum* aliter vocetur ignis, forma, lux, Sulphur, filius Solis, aurum philoſophicum, ſpiritus vitalis, item acetoſum, calidum innatum, lumen vitale; hocque antiquiſſimum ſit principium in omnibus ſeminibus & quietiſſimum, niſi nimiùm excitetur, & ſic ad vitalitatem pergat; multiplicetur porrò & compeſcatur igne artificiali; & *Ignis* denique ſit *mollis* & naturæ, & ſequatur Patrem ſuum Solem, habeatque virtutem coagulandi aquam, in herbas, mineralia & metalla, & in regno quoque animali, ſanguinem in carnem & oſſa: *Alcali* verò, aqua, luna, fæmina, vertumnus, mater omnium rerum, ſed tenui luce imbutum, ne in auras abeat, item humidum radicale, videantur *Tachenius & Coſmopolita*.

Mihi

Mihi hoc loco præ cæteris placeat *Hippocratica ſententia*, quam etiam *Dominus parens meus* ſequitur *in Phaſide ſuo ſecundo*, ſive *Chryſogoniâ animali & minerali.*

Nempe: eſt in ſtomacho *Acidum* quoddam *fermentale* & *digeſtivum*, quod, an ſtomacho ſit proprium ac geniale: an verò à liene inſpiretur? jam non diſputabimus, cùm id *Viri Clariſſimi* ſatis expeditum dederint. Sufficiat, reperiri hoc in ſtomacho. *Acidum* hoc remiſſiones varias patitur ac intenſiones. Si n. remittitur & pro naturâ ſuâ infirmius fit, oriuntur variæ appetitus dejectiones, ciborum nauſeæ, malæque coctiones, inſufficientesque tranſmutationes, nempe, pro cremore liquamen aquoſum, quod, ob defectum fermenti acidi, non rarò amareſcit, & flaveſcit, ac, ubi agglutinandum eſt, putret & nidore horribili infame fit & cadaveroſum, unde cholera, lienteria, cœliaca paſſio, & diſſoluti morbi alii: Sin intenditur, ſæpe mutatur in acidum acetoſum, crudele, & patit orexin, tormina & morbos coagulatos.

Aciditas itaque intenſior, & peregrina vitæ initiis, ſive cœlo & cauſis aliis externis ſuſcitata, ſive in ſeminio diu longumque feriata & jam expergefacta, ſive maturitate temporis, ſive mala vivendi ratione actuata, dum longè lateque vagari cupit, *vel* contingit *immediatè* ipſum ſtomachi rectorem, quem I. B. *Helmontius* Archeum localem vel inſitum appellat, nihilque fortè aliud eſt, quàm ipſe vitalis ſpiritus inſitus ſtomacho: *vel* commiſcetur priùs cibis in eo contentis, & ex eo porrò aliò latis. Si commiſcetur *immediatè* initiis vitalibus, & ſpiritui vitæ inſito in ſtomacho, affectus tædiô vitæ rector ſemper inſurgit, ad proſcribendum illum hoſtem, illumque longè à ſe removere contendit; qui, ſi feratur in *Synoviam*, ſive ſemen crudum, oſſibus aſſimilandis dedicatum, inficit eam & ſtatim oritur arthritis. Dicitur verò *Synovia* muci lago quædam pellucida, qualis vitulo mactato amputatis pedibus è tibiis ſtillat, vulgò das Glieder-Waſſer.

Neque verò hîc exiſtimet quisquam, hæc extra authoritatem *Hippocratis* dici; ſiquidem cujusvis morbi character, ad animæ gremium admiſſibilis eſt, ſi conſideretur, quantum animi affectus imperii habeant in animam & ad producendos morbos. Hinc enim etiam *Hippocrates* ait: *Bilis atra, ſi in corpus ſpargatur, epilepſiam: ſin in animam, dementiam parit.* Atque ideò quoque patet ratio, cur pavore interdum multi corruant Epileptici: aliâ vice pavore multi liberentur à Podagrâ? ut enim morbus actu talis aliquis fiat, ſemper applicatio ad Spiritum vitæ, ſive lumen vitale neceſſe eſt, quod ſive Archeum, ſive animam ſenſitivam voces, parùm intereſt, modò de re conſtet.

 Et

Et propterea accurate sentiunt, qui ex eo fundamento podagram definientes, dicunt: *Quod sit character morbidus, seminaliter inspiritu vitæ hospitans, qui, suæ maturitatis terminis, fructum acidum fermentalem gignat, spermaticis partibus confermentabilem.* Uti enim semen pyri degustatum, gustum fructus pyri non exhibet: sic podagræ conceptus, actualiter non est in spiritu vitæ; sed potentialiter, qui actuatus contaminat synoviam, & articulos dolore afficit. Sin verò *mediatè* peregrinus acor, & primò quidem in cibum & potum feratur, digestiones simul turbantur; & hinc lassitudo primùm tensiva podagricis plerumque molesta est: ratio, quia jam memoratum acidum extra sphæram suam in venas elapsum, si cum bile, in sanguinem suo tandem etiam tempore ascendente effervescat, flatus, quos quidem in intestino ileo ad alvi secretionem excitare debebat, peregrinos venis gignit hospites, quorum defectus in intestinis, uti alvi excretionem retardat; sic excessus in venis, quid mirum, si spiritum vitæ in languores & flatulentas oscitationes stimulet? Neque enim inconsonum experientiæ est, acida cum lixivo sale, quo bilis naturaliter turget, ebullientia flatus excitare, & alcali tartari cum aceto junctum *Gas* acidum eructare naribus tædiosum.

Quemadmodùm verò idem sal, alterius qualitatis & proprietatis *Gas* excitat cum aceto: Cum nitri spiritu aliud: aliud cum spiritu Vitrioli: Ita hinc quoque ratio desumitur, cur in venis podagricum cum bile ebulliens acidum flatus spiret, lassitudinis tensivæ, non verò alterius symptomatis authores? Cur & acidum epilepticum flatus convulsivos; phreneticum furores; apoplecticum stupores, &c. inducat? ubi tamen simul negari non potest: flatulentiam, secundùm magis & minus, pro occasionalium abundantiâ ingruentem, interdum vel dolorem moderari vel exacerbare posse.

Dein excitatur *Febris*, ex ejusdem acoris in membranosas nervosasque partes vi & proprietate. Semper enim conceptus acidi, quàm primùm sensoriis membranosisque admovetur partibus, frigus parit & ex proprietate suâ contractiva intensiori vel remissiori, rigore vel horrore quatit Archeum. Acida enim nervis inimica existunt, eandemque, si intactus organa moventur, cum nervis actionem subire censenda sunt, quam spiritus Vitrioli, & alia eidem affinia acida pariunt, si spiritui urinæ & salibus similibus misceantur. Commota enim ibi acida ad stuporem usque cohorrescere sæpè faciunt tangentis præ-

nimiæ

nimiâ frigiditate manuum. Qui v. horrorem sequitur febrilis æstus, ab eodem deducitur podagrico acido, non simpliciter tamen moto; sed unâ cum bile effervescente, quæ corpus est, de partibus conflagrabilibus & oleosis admodùm participans. Ita enim juncta moventur simul; siquidem in motum concitati spiritus bilis volatiles, torpentes etiam atque hactenus occultos excitant acidi ignes, sicque unitâ utriusque virtute jam fortiùs urgent. Neq; enim ignotum est *Spagyris*: conflagrabilia & volatilia sub jugum acidorũ vinciri, imò & in alcalium consortiũ inadvertenter redigi & à torpore iterum in actum revocari & expergiscere posse. Monstrat id spiritus Nitri & aquæ fortis, qui in Martis solutionem avidissimi in flammas sæpe erumpunt. Spiritus Vitrioli, si Terebintinæ affundatur, excitato per utriusque motum igne, flammas concipit. Quid mirum ergò, si in sanguinem revoluta bilis apprehendat, quatiente horrore membranas, acidum, atque, occulto utriusque ita excitato sulphure, actionem anteà frigore terminandam finiat febrili æstu? Clariùs id demonstrabit spirit⁹ Vitrioli, cujus occultũ Sulphur non ignotum est Philosophis, simulq; id sal tartari docebit, de sui itidem olei connubio participans? Cui enim ignotum, salia volatilia cum oleis congressum facientia figi. Huic ergò spiritui Vitrioli, cum spiritu urinæ misto, jamque intensissimum frigus parienti, si addatur sal tartari fixum, in motum concitatur oleosum salis, spiritusque Vitrioli Sulphur, tantusque jam excitatur vel eo momento & fervor & æstus, ut vitrum vix manibus teneri queat. Quod egregium sanè exemplum est, idem acidum, diverso tamen respectu, & frigoris æstusque parentem esse posse.

In æstuosâ verô istâ ebullitione, si flatus violentiùs membranis nervisque impingantur, ibidem hærentes, combustionis igneique caloris sensum, & ni iterum difflentur sudoribus, febrim continuam excitant. Ejusdem enim objecti semper idem sensus est, neque ideô calor naturalis ad pristinam temperiem redire potest, nisi igneis partibus à sensorio ablatis.

Mox verò aciditas podagrica pedetentim ad uterum proprium, ubi sese duo ossa contingunt, delata & subsistens, dolorem leviusculum *primò: dein* velut ardentis stellæ parit, ex eadem effervescentiæ ratione, cum hâc tamen differentia, quòd illic cum bile: hîc verò sub articulis in synovia ebulliat. Hunc sequuntur, aucta aciditate, calores & tumores, & quæ alia podagricorum mala esse consueverunt. Neque enim calor ut sic, & humor, qua talis, podagræ causa esse queunt,

 nisi

nisi quis dicere velit: calorem, qui soluto argento per aquam fortem fit, vel soluto per chrysulcam auro & mercurio, esse causam solutionis eorum, cùm sequatur ex solventis & soluti mutua in se invicem actione, & tunc humores ad partem affectam confluant. Sed, uti chrysulcâ nimis forti, & planè dephlegmata, velut accensô igne calor intenditur, contactu mercurii & auri, quæ igneô gravida sunt sulphure: ita etiam pro gradu aciditatis & objecti solvendi, majores minoresvé dolores, calores, tumores, ebullitiones; solutiones continui. Cùmque variæ solventium acidorum & ponticorum ad corpora solvenda sint proportiones, ut, dum aqua, quæ aurum solvit, argentum non attingit, & quæ argentum solvit, aurum linquit intactum, licet & inveniantur aquæ corrosivæ, quæ & aurum & argentum simul solvunt; hinc quoque ratio colligi poterit, cur non omne acidum sit podagricum; sed aliud *Colicum*, aliud *Apoplecticum*, aliud *Calculosum*, aliud *Ischureticum*, aliud *Pleuriticum*, aliud verò omnibus his producendis aptum? siquidem, non rarò etiam his & similibus affectibus podagrici simul affliguntur, de quibus plura in curatione.

Tophi restant, qui nil aliud sunt, cùm plerumque silente podagrâ prodeant, & sedatis doloribus primùm conspiciantur, quàm præcipitatus, destructô acidô morbosô, pulvis, creta, seu coagulum, in saxeam, seu potiùs cretaceam duritiem abeuntis synoviæ. Atque res hæc sese non aliter habere videtur, ac si solutum per aquam fortem argentum, seu, si mavis, argentum vivum, quod liquiditate sua magis synoviæ in calcem abeunti respondere videtur, sale communi præcipites in calcem candidam tophis podagricis haud absimilem. Cùm enim vel ipsius sanguinis generatio & synoviæ processerit menstrui solventis opificio, ex solido in fluidum; cur non itidem præcipitantium virtute, ex fluido reverterentur in solidum, & sic coagulationis gradum paulatim susciperent sanguis, bilis, synovia, & alia?

Et cùm variæ sint calcium præcipitatarum proprietates, præcipitantium genium redolentes, ut ex gr. Luna *aliter* cadat, si sale communi præcipitetur, sic enim evadit in pulverem albo caseo similem, qui facili dein negotio in vitrum liquatur, vel Lunam dat corneam, ut *Isaacus Hollandus & alij* memorant, *aliter* verò, si cum cupro, & cum aqua regia aliter præcipitetur, & ob id magnam partem vel omninò sæpiùs avolet ab igne, vel etiam fixior reddatur, ut tota eludat etiam ignis extremi reverberium; hinc præcipitantia quoque variant calcem podagricorum, ut alia sub tumoribus erysipelatodicis, alia sub œdemato-

mato-

matosis, alia verò sub lymphatica partis affectæ intumescentia cadat, & hæc volatilis resolvi iterum & per aporrhæas dissipari: illa verò fixior tophorum motusque impotentiæ mater esse possit.

Hæc sunt, quæ de podagræ nominibus, ortu, causis, signis & symptomatibus, pro captu meo, ea qua potui brevitate, sententiis eorum, qui de podagra scripsére, annectenda duxi; ut, quantum veritatis, ratione ac demonstrationibus, asseruerim, exponerem legentium candori, & ulteriora de his meditandi occasionem præberem.

Unicum restat: quomodo vitalis acor ex rerum nonnaturalium abusu degener & peregrinus vitæ nostræ fieri soleat, ut exorbitare, id est, in venis stagnare, & tam incondita patrare cogatur?

Et sanè, uti in aëre occultus vitæ cibus est, si homogeneus & clementior puritate ac perspicuitate sua nobiscum ludit: ita, si deturpatur, & variis sive superiorum sive inferiorum influentiis nobis contrarius fit & inficitur, quis non videt, sanguinem tot inspirationibus corrumpi, & transmutari debere in anomalam formam, secundùm admistorum proprietates? Quæ verò, ceu variæ sunt, sic variorum morborum & ipsius quoque podagræ suscitatrices esse solent.

Sive ergò peculiaris quidam astrorum aspectus, sive aqua & aër, seu exhalationes quædam mineralium, per aërem, sanguinis latici communicent peregrinum acorem illum, res certè se non aliter habere videtur, eventus ratione, quàm, si tincturæ antimonii per aquam fortem factæ, affundas acetum destillatum; tum enim liquores sibi invicem exitiosi fiunt, & quàm primùm sese apprehendunt, in liquorem neutrum degenerant; unde fecum seu coaguli cujusdam mucidi præcipitatio oritur: Ita, inquam, morbosum illud acidum, sive cœlitùs, sive è terra irruens, sive ex cibo & potu intrò genitum, quàm primùm cum acore nostro naturali unitur, & hic ab illo superatur, tum sese invicem destruunt, & ad neutrius alicujus naturam rediguntur, subsidente quodam feculento ex sanguine coagulo. Quod idem videbis, si aquam regis sanguini ex vena secta emisso affundas. Fex verò illa, si feratur in glandulas, quæ succum acidum secernere solent, (quod plerumque contingit, ob acoris peregrini contagium, propter quod ad ejusmodi officinas segregatorias amandatur,) obstructiones parit, i.e. non institutâ ampliùs separatione, acor peregrinus in venis remanet & stagnat, jamque febris & paulatim podagra in promptu est.

Similem obstructionem & vini nimia ingluvies & Veneris excessus pariunt, cum ea tamen utriusque prosilientis inde podagræ specie,

cie, quòd in hâc obstructiones, quæ exorbitantis acidi causæ sunt, fiant ab humorum spissâ condensatione, ex spirituum volatilium deperditione facta, atque hinc acidum fixius redditum, doloribus profundis & lancinantibus ægris molestum magis sit, & horrore fortiori quatiat, concurrente simul ad hoc fissurâ hepatis, quæ Veneris præmium dicitur, *Prov.7.v.23.* id est, bilis corruptione & languore: illic verò obstructionis origo proveniat à coagulativo vini acore, naturale quidem acidum nostrum destruente, volatiliori tamen, ob vini adusti acredinem, atque ob id igneo & effero magis dolore, vitæ nostræ moderatorem in furores agente. Quæ quidem jam de theoretica podagræ consideratione sufficiant.

De Curâ Podagræ.

Podagræ curationem aggressurus laterem lavare videbor. Quis enim mortalium est, qui de subacta *podagra* gloriari possit? Domantur quidem tygrides, & leones, & ursi, ut innoxiè per plateas ducantur, ad obsequium parati; Sed, quis hanc feram domuit? quis illi compedes injecit? quis eam abire, excedere, evadere, erumpere jussit, non relictâ noxâ, aut recidivæ metu? Omnes sanè, conspectô hoste hôc, trepidant, & velut, conspectô illo Philistæô viginti quatuor digitorum, Israëlitæ, aufugiunt querulanturque invicem: annon vidistis illum armatum; ecce jam adscendit & toti Medicorum exercitui illudit, jaciendo in ipsum probra & convitia. At verò, quod *David* respondit *Sauli*, *prior. Samuelis c.17.v.33. Ne concidat animus ullius propter istum: Servus tuus iturus est, expugnaturus contra Pelischthæum istum*, quod Lutherus pulchrè ita reddidit: **es entfalle keinem Menschen das Hertz umb deß willen / dein Knecht soll hingehen / und mit dem Philister streiten.** Idem mihi dicere hodiè liceat. Neque enim sive ratione morbi, sive ratione causarum & Symptomatum, sive ratione remediorum repugnantiam video, aut victoriæ impossibilitatem, modò sibi gloriæ ducat æger, præceptis medicis obsequi, & Medicus, velut strenuus belli dux idoneis armis manus conferat, lassari nescius, donec in fugam dilabatur, aut genuinis calculis, velut ex fundâ jactis, cadat Podagra.

Probatum hoc dedit *Paracelsus*, teste Epitaphiô ejus, quod Salisburgi cernitur. Probatum dedére exempla aliorum, qui carceribus, inediâ & strictâ diætâ, anteà hoc malo vexatissimi ad sanitatem rediére,

rediére, nec invidenda laus illi *Podagræ Domitori Cneuffeliô, Divi Casimiri Regis Poloniæ Archiatrô*, si, quæ de domitâ podagrâ edidére amici ejus, vera sunt. Aliorum exempla videantur apud Schenckium, Horstium, Agriculam & Doctores alios.

Haud verò huc adducam magnum remediorum exercitum; nec pagellas has onerabo congestis hinc inde, multam partem tamen dubiis receptis; sed brevia & convenientia solùm me adducturum confido, & quæ morbum ejusque causas respiciant. Quemadmodùm itaque bonam illam *Alexandri* indolem, quâ omnes Reges, teste *Curtiô*, antecessit, illam in subeundis periculis constantiam, in rebus moliendis efficiendisque velocitatem, in deditis fidem, in captivis clementiam, in voluptatibus permissis quoque & usitatis temperantiam, haud tolerabili vini cupiditate fœdavit: ita è contrà, omnibus omninò podagricis suasor essem, ut quotidiè legerent & observarent id, quod habetur *Judicum c.*13. *v.*14. Jam enim satis innotuit, quantum tum ad conservandam sanitatem, tum morborum præservationem & curationem momenti adferat diæta, tam generaliter, quoad sex res non naturales, quàm specialiter solùm, quoad cibum & potum considerata; præsertim in eâ medendi methodo, quæ causas occasionales respicit. *Duæ* enim uti morborum quorumcunque sunt *columnæ*, quibus ædificium morbosum innititur, *materia* nimirum *occasionalis*, & *materia cum efficiente archeali*, quarum alterutrâ sublatâ, ruit totum, quod iis superstructum est: ita duplex curandi morbos methodus æquè docetur. *Altera*, quæ occultiori cujusdam arcani viâ omnem sanat morbum, quatenus indignationes Spiritus vitæ tollit ejusque confusiones, pacemque huic imperat, ne morbum pariat, sed vel partum deleat, vel ipsius causæ occasionalis profligationem meditetur; quæ secundùm multorum placita diætæ rationem non tam solicitè habet. *Altera* verò, quæ causam occasionalem demetit, eamque solam respicit. De utrâque ergô differenti mihi, utriusque etiam suo loco regulæ observandæ sunt: Jamque, ubi medicamenta causam occasionalem respicientia meditor, rectè etiam rerum non naturalium & diætæ rationem observo. Siquidem hîc parcimoniâ ciborum plus efficerent ægri, quàm omni pellis laceratione, aut truculentâ ignium ambustione, vel lignorum, radicumque barbararum potu, uti loquitur *Helmont.* Aërem ergô, ubi ad arbitrium quilibet moderari non potest, neque, necessitate urgente, imperare somno & vigiliis; cætera tamen, quæ in potestate nostrâ aliquo modo esse videntur, ut cibus & potus, motus &

& quies, excreta & retenta, & animi pathemata, quibus maximè alterari solet corpus, probè attendenda sunt, præcipuè cibus & potus, quæ si ad naturæ tolerantiam non administrentur, plus sæpè nocumenti adferunt, quàm si parcè propinentur. De cæterô verò podagræ curationem, tribus absolvi posse, resolventibus nempe, mitigantibus & corroborantibus confido. Ego tamen, dum *Davidis* contra *Goliathum* pugnantis exemplum attuli, *quinq; lapidibus*, quos *quinque remediorum generibus* confero, prælium antipodagricum confectum iri, spero.

Primum lapidem jam tum adduxi, ex *Judicum c.* 13. *v.* 14. Nisi enim Diæta strictior observetur, & homo non potiùs in sicco, quàm humido vivere maluerit, secutus gulam & ingluviem intemperantiamque omnem, cum sapientiâ etiam sanitas vacillat & in casu erit. Maneat itaque hîc podagricis sanctum hoc phrenoschema : aut sustine, aut abstine.

Secundum lapidem constituant Medicamenta resolventia.

Inter resolventia v. *primò* mihi discurrendum video, de purgantibus; de quibus cum *Hippocrate ex libro, de Arte* §. 39. & 40. ajo: *Ipsa sola reconvalescentiæ non sufficere*; necessaria tamen esse, arcano universali destitutis hâc in medendi parte. Vim enim habent potenter resolvendi, & dum, irritatâ, per violentam humorum colliquationem, naturâ, vitæ spiritum necessitant, per accidens nonnunquam efficiunt, quod per se non ausa fuisset natura, id est obstructiones viscerum, hepatis præsertim & pancreatis, reserant, & exorbitantem acorem in sphæram reducunt propriam; unde verificatur illud *Hippocratis*: *Quòd colliquationes infernæ podagricos valdè juvent.* Ubi tamen nemini author esse velim, ut ad purgantia indifferenter proruat; siquidem scimus, non sine ratione conqueri multoties podagricos, ex usu purgantium se majus damnum sentire. Hinc & magnum eorum catalogum hîc annectere nolo, nisi quòd censeam, ea, quæ humorem ad articulos decubiturum serò avertunt, & commodè ad alvum ducunt, adhiberi posse, qualia sunt: *Electuarium caryocostinum*, quod *Bayerus* maximè commendavit, & *Robertus de Fluctibus*, tanquam panaceam habuit. Pòst, *electuarium de tamarindis cum foliis senæ*; vel pulvis sequens, qui recipit foliorum senæ mund. Christallorum tartari, hermodact. veror in vino ablutorum, sarsaparillæ an drach. j. sem anisi gr. v. scammon. gr. 15. cinam. gr. vj. fiat pulvis dividendus in 4. partes, cujus una pars detur tertiô post plenilunium die. Præ cæteris non contemnendus est Mercurius

curius dulcificatus, qui cum pilulis de sagapeno mistus multum confert. Nobile enim est medicamentum, quod, si rectè paratum sit, nunquam destituit ægrum suo effectu; siquidem articulos etiam ab infarctu liberat, & potenter resolvit producta podagrica; unde & in paralysi prodest & contracturis, de quo videatur *Sala in Hermatologiâ*, & Agricola *in Poppium tract. de Mercurio*. Et hoc quoque facit *Mercurius corallatus* sive *Arcanum corallinum* à colore sic dictum, in extracto Iuæ artheticæ, vel theriaca, unius vel dimidii grani pondere exhibitum, de quo *Paracelsus, Crollius, Phædro, Mylius, Sala, Agricola, Helmontius*, & pulchre denique *Huginus à Barma posit 56. in Saturniis regnis*, scripsêre. Idem præstat purgatio ex vitro ♁ ii. ex quo tinctura per oleum vitrioli vulgare extrahitur, cujus dosis est à gt. 5.6.7.8. ad decem, ejus laudes vid. apud *Agricolam in Poppium, tractatu de antimonio p.m.* 17. sed hæc ne sint vilioris præparationis; sed à peritissimo artis chymiæ tractentur. Succedunt hisce sequentia, quæ quatenus ad alcalium prosapiam accedunt, suâ etiam laude digna sunt, & præservationis loco commodè adhiberi possunt. Primum v. locum teneat Manna, si in immortale lumen & tincturam evehatur. Huic succedat sequens ex Tartaro medicamen, quod recipit salis Tartari & Cremoris ejusdem partes æquales, dissoluta hæc in aquâ roris majalis, vel aqua aliquâ artheticâ filtrentur per chartam, pòst continuò bulliant in olla vitreata ad siccitatem, donec remaneat pulvis albissimus, qui pro necessitate in singulos dies in vino exhibitus; obstructiones reserat, & productis podagricis non tantùm exterminium denuntiat; sed & multorum morborum genesi obstat, remotis iis, quæ occasionem præbere queunt spiritui vitæ nostræ, ut ab officio declinet, & excentricus fiat.

Ejusdem fructus & virtutis est antipodagricus Parei pulvis, cujus descriptio in *Hippocrate chymico* p. 105. reperitur, ex senâ, hermodactylis & cremore Tartari, cui addit Taccheni⁹ salē volatilē viperarum præparatū, de quo refert, quòd pergat per omnes corporis humani officinas in occulta salina forma, sudoris instar, & cum reperit acidiorem saporē in cavitatibus & in juncturis & articulis, deserat proprium acidum & combibat dolorosum illud & ardens in Podagra; licet pro sale viperino & substitui possit sal sangvinis humani, magnarū *Roberto de Fluctibus* in Podagra virium, aut sal volatile. C. C. Cui non absimilis est alius ex cranio humano, uti legere est apud *Gregorium Horstium, hactenus in tot filiis successoribus immortalem Æsculapium*: Item *pulvis Artheticus Paracelsi*, cujus meminit *Schröderus in pharmac. Medico-Chymica*, l. 2. &

 pilu-

pilulæ Anti-Podagricæ Doringi, teste suprà laudato *D. Horstio* p. m. quas itidem Dn. D. Schrôderus *tit. de pilulis* consignavit.

Liceat verò de Tartaro loquenti mihi & hoc adjicere, quod arcanum Tartari appellari omninò meretur, & inter resolventia præcipuum locum habet & ℞. Salis Tartar unc. 6. quibus affundatur ad eminentiam 4. digitorum acetum destillatum, quod abstractum per destillationem toties reaffundatur & abstrahatur, donec acetum, quod in qualibet destillatione aciditate sua privatur, iterum ascendat acidum, & in fundo cucurbitæ remaneat Tartarus instar olei. ℞. jam hujus olei partem unam, & terræ luteæ, qua orichalci fusores utuntur 3. partes, quibus destillatis per retortam prodibit spiritus suaveolens, qui resolvatur in oleum luteum. Hujus verò spiritus Tartari pars una, & spiritus vini partes duæ & olei vitrioli rubei pars decima sexta, & octava pars olei Sulphuris misceantur guttatim; & per tres menses circulentur, & absolutum erit arcanum Tartari, cujus dosis est à 10. ad 15. grana, in Podagra Calculo, tussi, phthisi, anorexia, obstructionibus & nervorum malis. Aliud *Arcanum Tartari* tradit *Pharamundus Rhumelius in Leone Rubeo, anti-podagrico, fixo*. Neque miretur quisquam, Tartaro tantam attribui vim & potestatem. Cùm n. in Tartaro lateat vis & energia, metalla retroducendi & resolvendi in mecurium currentem, quis non videt, solutis, præcipitatis & sequestratis fecibus, per Tartarum, ex sanguine, tanquam sulphuribus sordidis, facilem dein patere viam sanguini ad sui primam integritatem, ut ritè circulum suum absolvat. Hæc præmisisse sufficiat. Quis enim pilularum, extractorum, pulverum & aliorum purgantium classes huc adferret omnes?

Ad *tertium lapidem* progredior, qui est instar *gladii Goliathi*, & consistit in medicamentorum, acidum podagricum sive resolventium, sive exhaurientium, sive mitigatium & delentium usu.

Verior itaque cura, à resolventibus desumpta, consistit in resolutione acidi coagulantis, ejusque extirpatione, quæ tum primùm adhibetur, cùm per purgantia pancreas, & si quæ sunt reliqua acidi succi viscera, ab infarctu coaguli viscidi liberata sunt, viaque exorbitanti acido ad loca sua propria rursus monstrata est, & *sunt salia volatilia*, quæ alcalia seu urinosa vulgò nuncupantur, ut sal volatile cornu cervi, sal tartari volatile, istud præcipuè Helmontianum, quod spiritu vini volatili turgidum cum proprio adscendit phlegmate, non nunquam in formâ humidâ, non nunquam instar sublimati, quod vim habet resolvendi potentissi-

tentissimam, dignum iis, quibus ab *Helmontio* celebratur encomiis, item spiritus salis armoniaci urinosus, sal volatile succini, item cranii humani, & alia; quò etiam referantur aquæ destillatæ herbarum vulnerariarum, quæ alcalibus volatilibus occultis abundare dicuntur, ut aquæ distillatæ spermatis ranarum, lactucæ, sambuci, nymphææ, portulacæ & similes; quæ ideoque lenientium numero adjiciuntur.

In censum horum accedunt omnia salia lixiviosa, ita dicta, quòd combusto per incinerationem concreto, elixiviari soleant. Omnia, inquam, illa occasionalem podagræ acorem demetunt, eumque vacuo suo corpori involutum, naturâ viam monstrante, per vesicam ejiciunt, & sanguinis vigorem conservant, ad punctum saturationis, quod remissi paulatim indicant dolores, adhibita. Quò etiam spectant Corallia & oculi Cancrorum. Sicut n. acor multiplex est: *narcoticus* nempe, in leprosis; *necroticus* in gangrænosis: *pruriginosus* in scabiosis: & alius porrò Luis venereæ: alius carcinomatis, alius in diarrhæis: alius in lichenibus, herpetibus, morbillis & id genus aliis morbis, qui instar fermenti partem affectam labefactat ac corrumpit: Ita è contra dantur salia *alcalia* & *lixiviosa* acoris expertia, *seu naturalia* sint, qualia sunt in animalibus fella: *seu artificilia*, qualia sunt Sal Tartari & ejus liquor per deliquium: *seu volatilia*, quale est in lapillis cancrorum: *seu fixa*, qualia sunt omnia salia lixiviosa: *seu saporis salsi*, qualis est Spiritus incoërcibilis nitri, magnarum in Medicinâ virium: *seu amari*, qualis est in absynthio, seu *denique acre*, quale est in antiscorbuticis, aro, nasturtio, cholearià, serpentarià. Talia, inquam, acidis verè sunt contraria, ut alterum ab altero contemperetur, fiatq; ex eorum combinatione neutrum, inprimis, si ad summam puritatem & fixitatem ducantur. Unde videndum, quod alcali cui acido contrarietur & in ejus radices penetret.

Similia præstat Essentia cornu Cervi, articulorum languori non sine omine amica, cùm longævus exquisita velocitate pedû vigeat Cervus. Virtutem ejus non sine encomio venerabuntur arthritici; Siquidè in cæteris providè gerentes, qui ea utentur, per Dei gratiam reconvalescent, & pristinum renovabunt sensim vigorem. Ea. v. in jure, vel vini haustulo, *curativè*, manè & vesperi adhibetur, à guttis 20. ad 40: *præservativè* n. guttæ 20. sufficient. Diureticum incomparabile est, ut sine admiratione in usum vocari nequeat. Dosis salium volatilium est à gr. 10. ad 20. in Syrupo violarum vel etiam vini potione, compositis ad sudoris prolectionem, si fieri potest, in principiô morbi, ægris: sin minus, diuretica sunt, & sæpe alvum leniter, in vino tamen sumpta hu-

humectant. Ob paroxismorum enim violentiam & dolorum acerbitatem diaphæresin interdum non assequi natura potest. Atque ideò indicationibus intendens medicus, semper naturæ possibilitatem meditetur, ut quò maximè vergit, ducat, & vel tandem consequatur, i. e. sub paroxismi terminum, quod principium morbi ipsi denegare videbatur. Ne enim credant podagrici, se, solutis vinculis seu paroxismo, libertati redditos, & à captivitate exemptos esse, sine recidivæ metu, vix enim medicinæ quæ juvant, perfectè sanant, nisi continuentur, & paulatim, quod longâ consuetudine inolevit, vitium eradicetur. Vellem ergò, ut hæc salia volatilia & alcalia recommendata sibi habeant podagrici, dum causam occasionalem adæquatè respiciunt, &, ne ad articulos labatur peregrinus acor, præcavent. Neque involuenda sunt silentio ex Saturno sive plumbo parata medicamina, quæ, dum aceti naturam frangunt, & dulcorant, atque ob id in febribus tam continuis, quàm intermittentib⁹ ad miraculũ prosunt, teste sale Saturni, aptissima quoque sunt tam exteriùs, quàm interiùs administrata, pro acore domando podagrico.

Intereà, dum hîc alcalia commendo, sit suus etiam acidis honos, quæ quidem, dum è venarum cavo extirpari debent, absit, ut ex corpore humano ubique relegata velimus. Exorbitare acidum in venas uti periculosum: ita deficere illud in ventriculo & pancreatici succi sphærâ nocivum. Jam ergò, acidi defectu, cùm sola in intestinis volvatur bilis, neque hinc intestini ilei flatus generetur, alvusque siccetur, atque hinc effusâ sæpius bile in ventriculum, sitis, stomachi ardor, & cordis morsus excitentur; quis non sibi à julapiis acidis commodum, à *Clyssi mineralis* usu, fructum, & emolumentum ex acido Sulphuris stagmate expectet, si moderatè adhibeantur? ita enim ileo flatum restituent, ventriculo sitim extinguent, languentibusque primis satisfacient viis, quæ, dum cum bile salsi naturam induunt, abstergunt & experientia obstetricante dissolvunt, metuenda cæteroquin, si sanguini immediatè communicentur, ob proprietatem borealem, quâ ipsum subitò coagulant, ut manifesta venena. Intereà, sit modus in rebus, sint certi denique fines, quos ultra citraque nequit consistere rectum. Alcalia volatila & lixivi sales acorem respicientes manè & vesperi adhibeantur: acida, in bilis correctionem directa prandii tempore in usum revocari possunt: Clyssi mineralis guttæ decem, in prima jusculi sorbitione, acidi v. Sulphuris gt. ij. vel iij. Julapia cum Syrupo violarum, papav. erat, rubi idæi, corallorum, &c. perficiet spiritus vitrioli, vel Sulphuris, vel Clyssi.

De

De lenientibus dicendum aliquid; non quidem de omnibus iis, quibus promptuaria medica abundant; sed paucis solùm. Omnium verò nomine unicum lac referam, podagricis convenientissimum. Nempe, purgato aliquoties Mercurio dulci corpore, solo lactis saccharati & cum albumine & vitello ovi conquassati usu, brevi tempore continuato, reconvaluit podagricus, cui, cùm comedendum, manus non erant, cùm ambulandum, non pedes, cùm verò dolendum, & manus erant & pedes. Historiam hujus tradidit *Dominus Parens meus in Chrysogonia Animali & Minerali*, pag 148. unde suus lacti maneat honos, quem non malè nuper eidem quoque asseruit *Dn. D. Waldschmid, Profess. Med. in Academia Marpurg. in exercitatione* Medicâ, *de Cura lactis, podagricorum solatio*, respondente *Dn. Ludovico Conrado Jacobi*. Quò etiam refertur preciosissimum illud Sinæ donum, herba Thée seu Cha, uti in mirandis Sinæ & Europæ p. 865. legitur. Cujus decoctum cum lacte bibentes Sinarum Incolæ podagram & calculum nesciunt. Sic & serum lactis hoc in casu plurimis inter arcana habetur & *Caroli Quinti remedium* fuisse creditur: Si coquantur in unciis 13. Seri lactis summitatum borraginis m. ij. & agarici drach. 1. eoque dissolvantur mellis rosarũ, & oxymelitis squillitici an unc. duæ, de eoque calide sub auroram bibatur, isque potus repetatur per nonnullos dies, ad alvum probè emolliendam, licet interdum etiam sine agarico adhiberi soleat. Quod quidem ex communicatione Nobilissimi & excellentissimi Viri D. D. Schefferi, Medici Francofurtensis clarissimi, huc apponere libuit. Ita enim Carolus Quintus, ad terminum mortis usque incolumis vixisse fertur, cæteroquin satis à Podagrâ vexatus.

Venæsectioni per se parùm tribuo, neque cucurbitulis, neque fonticulis aliquid solidi, quia causam parùm attingunt, & sine periculo redeuntis paroxysmi, præservativè ejusmodi præparatoria nihil conferunt, ingeniosæ partim torturæ titulo dignæ operationes, partim palliativis remediis jamdudum accensitæ. Nonne enim peccare credendi sunt sanguinis temerarii effusores, ubi sonti simul & insonti sanguini ruina paratur? Quamobrèm ego ipsam rarò admisero, nisi consuetudo ægrorũ (qui plerumque hisce in oris venæsectionibus multùm tribuunt) aut alia indicantia eam exigant, *aphorismi Hippocritis* memor, *quòd ægri consueta etiam minùs molestis faciliùs ferant*. *Fonticulos* totaliter cum *Sennerto* rejicio, neque cucurbitulas, nisi extirpatis intrinsecus occasionibus, attendendas reor, iis, qui delectari solent ejusmodi pellis lacerationibus, & puncturis, affiguntque ea cruribus, scapu-

lis

lis, tibiis, & circa pedum malleolos, genuumque juncturas, credentes, ita coagulum sordidum podagræ, musculis adhuc impactum, à quo motus impotentia haud raro derivatur, cum levamine sæpiùs prolectum esse. *Consuetudo est altera natura.*

Pro iis verò, qui medicamentis externis coaguli discussionem sperant, sequentia quæ tamen ad *quintum lapidem sive externa dissolventia & roborantia* potiùs pertinent hîc addo. ℞. axungiæ humanæ ℔ j. indatur ollæ novæ, atque in eâ extinguatur ossium humanorum candentium, & in minutas particulas concisorum ℔ j. super impositô statim operculô, ne sevum accendatur; sed omnis pinguedo in poros ossium se insinuet. Hæc destillanda sunt simul ex retortulâ in oleum flavum, quod tertiâ vice, ut pulchrũ & clarum fiat, rectificandum. Ita enim penetrabile redditur, & ad omnes motus impotentias, contracturas, ipsosque tophos podagricos est commẽdabile. Suam etiam hîc opem confert Balsamus sequens antipodagricus, qui componitur ex *Masticis, Myrrhæ rubræ, & Mumiæ, ana unciis duabus: Vitrioli, librâ unâ, Tartari uncia una & dimidia: Aquæ vitæ libris quatuor,* quibus secundùm artem destillatis prodit balsamus, quo loca dolentia inuncta, magnum accipiunt solatium, ut æger mox equitare & vehi & ire possit.

Huc referatur etiam sequens epithema, quod ex prædictis principiis commendabile est, & recipit panis triticei unciam unam & dimidiam, pulveris florum sambuci, rosarum rubr ana drachmas tres, croci Austriaci, drachmam unam, olibani, masticis ana drachmas tres, cretæ Coloniensis, drachmas decem, castorei pulverisati, drachmas quatuor, coquantur hæc in sufficienti quantitate lactis recentis, ad consistentiam cataplasmatis, vel, omisso lacte, additâ Terebinthinâ, ad molle emplastrum, quibus quoque addi potest Saponis Veneti uncia una.

Ejusdem fundamenti est sequens linimentum, magni semper habendum, quod Rec. aq. Anhaldin. Spir. Junip. Lil. convall. cum vino malvatico parati. Aq. flor. sambucis an unc. j. Sapon. Venet. unc. dimidiam, camphor. gr. 10. opii gr. 5. Misc. hâc aquâ calefactâ inungantur membra dolentia. Plura non addo, cùm hæc levia sint, & subactis intrinsecus occasionibus varia topica inveniri, & à *Medicis* præscribi facilè possint. Opiata cæteroquin, nisi corpore prius evacuato, non facilè adhibeantur.

Cæterùm, uti præmeditatè *Basilius Valentinus* scripsit calcis vivæ

enco-

encomia, & quòd ejus ſpiritu ritè præparato omnes podagricorum tophos & nodos diſſolverit: ita ſi debitè & prudenter, pro ægri naturâ, adminiſtretur, eandem non rejicimus, de quo etiam legatur *Rhenanus lib. 3. Solis è puteo emergentis. p. mihi* 17. licet eidem nonnulli intentent exterminium, ob metum corroſionis, fruſtrà: cùm manifeſta hodie corroſiva in julapia recipiantur, & guttatim in juſculis ſumenda præſcribantur. Velim verò hic & ego, ut podagricis tophorum generationem præcavere volentibus ſit in pretio Clyſſus mineralis tartariſatus, cujus accuratiorem præparationem docuêre *Keslerus & Tilemannus*. Præcipitantium enim eorum proprietatem redolet, quæ vim habent, ita ex ſolventibus præcipitandi ſoluta, ut conjectæ in fundum calces corporum anteà fixorum volatiles reddantur, & leniſſimo calore ſæpè diſſipentur, vagumque aëris motum ſequantur, non aliter, ac margaritæ in liquore aliquo ſolutæ, quæ per additionem cujusdam agentis præcipitari ſolent in pulverem, adeò rarum & volatilem, ut moderatiſſimè ſiccatus, vix obturato etiam vitro contineri poſſit, quin in auras abeat. Cùm ergô tophorum generationem, & cur in hâc magis, quàm in illâ podagræ ſpecie appareant, à præcipitantium diverſitate ſuprà deduxerimus; hinc tale præcipitans inquirere fas erat, quod præcipitatum funderet pulverẽ, abſque remanentiâ capitis mortui avolantem & volatilem. Eô ergo fine tinctum *Clyſſo minerali* linteum ſæpiùs articulis imponatur, ſic non cumulabunt tot depluos grandines aut tophos podagricorum ſynarthroſes.

Cùm verò haud ſemper obſequantur ægri; ſed deſiderio vini teneantur, ut plurimùm ſequenti remedio, ne adeò noceat, præcavere poſſunt. Rec. rad. ariſtoloch. rotund. ver. ſelectæ, gentianæ, Rhapontici veri, meu, comarum chamædryos. centaurii minor. ſalv. minor. chamæpith. an drach. j. fol. ſenæ ſelect. & pulv. unc. ſem. acid. tartari, ſem. Petroſel. macedonic. ſem. dauc. cretic. an drach. j. Sacchar. cand. albiſs. unc. ij. f. pulv. de quo, ſi in acidulis calefactis per aliquot menſes aſſumatur drach. 1. quotidie, *Podagra* mirificè confert. Quod ſi itaq; bibendum, & ad convivium eundum, ſumatur de eo præſcripta doſis: Vel accipiatur etiam de Tartaro in alcali proprio ſoluto, quantum tres cultri mucrones capiunt, indatur ſcypho vitreo hauſtu vini repleto, cultro diluatur & ebibatur. Sic enim ſubſequens potio largior non nocebit. Manè verô à convivio aſſumatur potus de ſequenti aquâ. Rec. pomum citrium, cum cortice & ſucco, injice menſuræ dimidiæ aquæ fontanæ, adde tamarindorum acidorum & ſacchar. ℔. quantum

 ſatis,

ſatis, bulliant additô tantillô cinamomi, donec deſpumârit aqua, dein frigeſcat; poteſt etiam addi cruſta panis toſti, dein filtrari, & ſi major aciditas placet, addantur gutt. x. vel xx. Clyſſi mineralis, vel omiſſis tamarindis addatur Syr. violarum Spiritu vitrioli correcto diluendus. Hæc, ſunt quæ ex alterâ illâ medendi methodo, ad cauſas occaſionales, primitivas, & continentes, depromenda erant, ſordes reſpicientia, & morbum velut à conſequenti, ſublatis nimirum operoſiori modo occaſionibus & productis, tollentia. De quibus: *Si ritè obſerventur*; non ſum dubius, quin ſatis factura ſint podagricis. Ejusmodi namq; remedia aptè per inteſtina feruntur, & ſanguini communicantur, quæque apta ideò ſunt reſolvere cauſam occaſionalem, & naturam ab impedimentis liberant; unde ſpiritus vitæ propriam præteriti furoris amentiam advertens eam tot malorum pertæſus deſerit, & peregrinas, reſumpto animo, transcolat ſordes. Et huc hactenus excerpta ſua retulêre Hippocraticorum quàmplurimi, & omnis Galenicorum Schola, & quicquid de naturâ ſalium ſcripsêre alii. Sin verò ſuis affectibus nimium indulgeant ægri, irritos facient, enervatâ naturâ, medentium conatus. Cogitent igitur, ad triſte mortis palatium plurimos introitus eſſe, ob laticem noſtrum errantem haud bene curatum, ſive ob ſuperficiariam Medici diligentiam, ſive negligentiam malè obſequentis ægri. Latice enim [qui integumentum, ſeu, ut chymico more loquar, menſtruum quoddam tincturæ noſtræ vitalis eſt] corruptô, marcet etiam ſuo ordine ſanguis, & confuſio reliquorum humorum ſequitur; Sanguine verò à peregrinis fermentis ſubacto, à cujus vigore trium facultatum pendet integritas, & circulos ſuos deſerente, ſpirituque noxium non profligante ad exteriores partes, quis non ſibi ruinam imminentemque ominabitur necem? certè, ut cum Eccleſiaſte ſentiam: Sol & luna, & ſtellæ, & lumen, rebus eò deductis, tenebreſcent, & nubes revertentur poſt pluviam: cuſtodes domus commovebuntur, & nutabunt viri fortiſſimi. Breviter: inflammationes internorum viſcerũ, oppreſſiones cordis & pectoris ſuccedent, vires labentur, & ventriculi robur cum ululante ſingultu reſolvetur, morsque in viciniâ erit. Quamobrem Deo hîc gloriam, & Medico ſincerum concedant obſequium, non offenſuri ampliùs pedes ſuos, ad montes caliginoſos, & mortis umbram Podagrici, & ſex rerum nonnaturalium ſtudioſi, etiamnum *Jeſum paralytici Æneæ* vivere experientur, carnemque ſuam, à morbis conſumptam, reſarciri iterum poſſe, cum *Hiobo* conſpicient. *Quod hîc ſufficiat.*

Ad-

Ad alteram hinc me verto medendi methodum, in eamque, ceu digniorem hodie multis existimatam, monstrantibus viam confortantibus, quibus & podagræ curam absolvi posse, infrà dixi, jam lubens redeo. Estque *Quartus lapis*, & árcanior medendi ratio, cujus intuitu, non minùs cordatè, quàm inculpatè pronuntiat *Cneuffelius*: Podagræ curam, nec consistere in phlebotomia, nec in scarificationibus, nec cauteriis, nec alterantibus, nec purgantibus per se; sed in conserva Balsami nostri vitalis, quam ex auro eliciendam suadet, dum, quid caro nostra est aliud, inquit, *in Epistolâ ad Arcissev. p.m.* 15. 16. quàm purior macrocosmi gleba ac terra? cur non è terra nobiliori & puriori, quæ in auro est, sui homogenei Balsami conservam nutrimentum & robur obtinere poterit? Hæc enim medendi pars sola vitæ spiritum respicit, eumque ita alterat, vel solo intuitu quodam, ut saniora meditetur, abjectumque vitæ clavum recipiat, insurgens ipse in causam occasionlem; ut illud *Hippocratis* verificetur: quòd naturæ ipsæ morborum medicatrices sint. Hâc ergò ratione in gradum sæpè surrexit spiritus incola, & in cavo abdominis volutantē vestiit laticem, eumque sublatô hydrope eduxit: Ea methodo *Paracelsus* tria illa vulnera, lepram, podagram & hydropisin curavit: Ea ratione à nativitate Paralyticam, & pedum manuumque destitutam usu curavit virginem, cujus historia legatur apud *Ristium*, von der aller edelsten Thorheit der gantzen Welt.

Et cur dubitem de re in naturâ verissima? uti enim venena quædam sunt mentis alienativa, quæ velut fructus arboris malæ propriam phantasiam in nos introducunt, ut canis rabiosi saliva, tarantulæ morsus, opium, hyoscyamus, & quæ alia sopiunt actum intellectus mentis: ita etiam sunt fructus arboris bonæ in medicamentis quàm plurimis, sub quibus custodiuntur ditiores mentalium thesauri & redintegrationes.

Neque est, ut, dum non concoqui posse metallica remedia, & ob id non admittenda esse non nulli clamitant, pedem figamus, illorumque assurgamus placitis. Pharmaca enim sunt, [neque ideò in cibos destinata] quæ servant suos fines. Etenim pharmaca perseverant, etiamsi intrò assumpta, & primò statim in stomacho, quorsum à Deo destinata sunt, vires suas exponunt, ut in archeo hausta vis radialis in totum diffundatur, avideque suscipiatur sanitas. Ipsa ergò in sui clientelas subjiciant & abripiant spiritum vitæ necesse est, quæ nulla sui

 com-

commistione; sed solo veluti adspectu, adeoque minimo attactu, vibratione, jaculatione; imò radiatione solâ, sive illuminatione peragunt munia sua, non aliter ac Philosophorum ad summum perfectionis deductus lapis, qui solo attactu fusa tingere metalla dicitur, sospite & intacta remanente ejus substantia, etiamsi millies adhibeatur. *vid. Walchius in Decad. Fabularum 9. p. 234.* Sunt siquidem plures ejusmodi remediorem dotes, quæ citra passionem aut reactionem patientium liberè semper indefessisque viribus agunt, perstante semper earum virtute & vigore. Nempe fermentum placabile medicina hæc arcanior inducit vitæ spiritui, & ideas gaudii & magnanimitatis, quibus consurgens morbos ipse proscribit, quicunque etiam ii sint, secundùm illud *Curtii, libr. 3. c. 6.: Ut verò medicamentum se diffudit in venas, & sensim toto corpore salubritas percipi potuit; primò animus vigorem suum, deinde corpus quoque, expectatione maturiùs recuperavit.* Ut non inquè hinc se vidisse glorientur plurimi, annihilatas hôc pactô amentias, apoplexias, caducos, vertigines, asthmata, hydropes, atrophias, immanesque defectus alios. Ea enim jam dudum pollicitus est *Paracelsus & alii*, & *Butlerus*, minimâ videlicet confermentationis applicatione est exsecutus, stupente ipsâ natura, *Verba sunt Helmontii.*

Sunt tamen hîc Philosophorum gravissimi, qui utramque conjunxêre methodum, & corroboratâ naturâ causam occasionalem simul respexêre, ut faciliori Archeus eluctaretur nisu; existimantes: uti in crisibus commodè interdum revulsos humores esse viderunt per medicamenta ulcera & fonticulos excitantia, ut eò crises seu abscessus criticos, ubi minus periculum metuendum, ducerent: ita etiam roboratam naturam, per medicamenta purgantia, sudorifera & diuretica flecti posse, ut, quo vellent Medici, sequeretur, hospitemque peregrinum ejiceret. Hæc causa est, cur conservæ suæ balsami vitalis, arcanum solvendorum salium, i.e. Clyssum mineralem adjecerit *Cneuffelius*, & medicamento suo antipodagrico tincturâ Microcosmi, quam in Appêdice de materia medica describit *Tilemannus.* Hinc, inquam, essentiæ auri, perlarum, croci, melissæ, sectas Croas, & Dauram adjecit *Paracelsus*, cujus purgantis descriptionem, uti *Dominus meus Parens* orbi jam aperuit; ita spondeo ego, eô sedulò in usum vocatô convalituros podagricos. Ut hinc, non sine ratione, *Paracelsum de vitâ longâ* dixisse credam: Se juncta velle simplicibus arcana. De *electuarii Dauræ* effectu videatur Paracelsus de vita longa. Eo simul fine præparatur

☿ *Pa-*

☿ *Paracelsi* diaphoreticus, purgatio diaceltatesson & alia, de quibus consulatur Helmontius inter Arcana Paracelsi p. m. 528. & 775.

Sed hîc, quid Tyro Juvenis de ejusmodi arcanis multa blateras? Quid ipse harum rerum fortè ignarus disserere moliris de iis, quæ velut ex umbra & pulvere murmuravêre alii, semper tamen dubia, & prorsus inania reliquêre, objicient nonnulli? At isti hæc mea sibi dicta non esse sciant; cùm sat gnarus sim, quòd tot præconceptis opinionibus expugnati, veritatis suscipiendæ sint impatientes. Hanc verò medendi methodum adjeci, non, quòd in Academiis ordinariè tradi soleat; sed quòd existiment plurimi, eam omninò necessariam esse, ut tandem in salutem ægrorum & naturæ abscondita magis inquiratur, & ita, quod ad huc deest, sedula inquisitione inventum obtineatur. Hîc enim non docendi mihi animum esse ingenuè fateor; sed discendi, qui Juvenis cum Elihu Buzite sapientiam à Spiritu Dei expecto & ab inspiratione omnipotentis intelligentiam; quam verò sapientiæ canitiem si consequutus fuero, animitùs ei soli acceptam referam, qui dedit, à quo, per quem & ad quem omnia. Neque tamen, tanquam ex umbra, hæc loquor, aut hærens in tenebris Cimmeriis; sed, quòd sciam, quæ audivi & vidi, de spiritu illo coagulato, qui est Sulphur, lumen, & centrum rerum omniũ, vera esse, quæ proinde propter exteros, & philochymicos pro ornamento clausulæ hujus Disputationis reticere nolui. Ut tamen aliquid addam, placet concludere binis, à quibus Disputationis hujus pagellas exorsus sum, *Asæ & Phaleiæ* luminibus, in tempesta quidem hactenus nocte pressis, emersuris tamen, & ut credo, brevi: cùm nil occultum adeò sit, quod non tandem manifestum reddi debeat. Sunt v. duo illa lumina, *teste Basilio*, bina Medicinæ fulcra, quæ ex eadem radice emergentia, Sulphuri Philosophorum dotes suas, quibus Medicinæ sunt, adscribunt, & ita in eodem consanguinitatis tertio conveniunt. Est v. Philosophorum Sulphur id, quod astrum Solis, sive Tinctura auri alibi nuncupatur, ipsi quidem auro naturaliter inditum, & constrictũ *quidem* vinculis durioribus; dissolubile tamen, ceu id à *Basilio* tract. de Sulphure sincerè docetur, & in aurum potabile, uti ejus parandi modum tradit, *libr.* Von übernatürlicher Wunder-Artzney / reducibile. Hujus, inquam, Sulphuris respectu, cùm tingat ipse Sophorum lapis, & medicina tot incurabilium audiat, ob maximum tamen pretium, per trium primorum separationem, ex auro vix aut difficilimè parabilis est. *Phaleia* v. ab olympico principio & sideribus oriunda, ex elementis extracta, & trium purissimorum principio-

do T. M.

rum unione combinata, cùm ex præparatione sua, qua putrefieri, separari, purificari & ex alto in fixissimam naturam reduci debet [*vid. Basilius* von der Heimlichkeit der Welt und ihrer Artzney] satis testetur, se lapidis Sophici esse corrivalem, aliud inquirendum esse corpus suasit, in quo principiorum illorum triga non æqua puritate solùm ac in Sole lateret ; sed & exsuperanter reperiretur. Hoc ergò cùm revelarit *Basilius* in den Handgriffen/und Erleuterung der 12. Schlüssel/dicam ego ex hac cadethra in Phaleiæ præparationem aliquid, quod maximo in pretio esse debet ; scilicet, visitatis interioribus terræ rectificatisque, principia secerni & depurata conjungi iterum debere ; ita enim ex ente corporeo tangibili & visibili elicietur cælestis quædam entitas, dicam, an apparentia, eaque iterum per ignem minorem & directionem microcosmi, ad tangibilē, fixam, solidam, & inconsumptibilē materam reducetur, quod tentanti quidem difficilimum ; sed obtinenti pulchrum evadet. Hæc sunt, quæ me veritatis amantē traxêre Juvenē & tyronem. Si quis verò matrem rerum ignorat, de qua *Chymica-Vannus consulatur , item Huginus à Barma & alii*, tentare idem mea quidem pace in *Vitriolo* poterit, & naturæ centrum adeptus securè curabit, & vel hoc unico lapide prosternet *Philistæum* ; nedum alios sanitatis hostes contumacissimos, lepram, utpote, hydropem, phthisin, podagram & magnam aliorum morborum turbam. Progrediatur solùm *animosus & cordatus Spagyrus ad centrum , ubi summa puritas requiescit* ; & inveniet Medicinam nobilissimam, *& huc quoque* traducat *Leonem rubeum fixum Rhumelii , & Nitri nobilem fundum. Tartarique Vitam.*

Ad *quintum devenio lapidem, nempe externa remedia* ; de quibus, etsi quidem suprà nonnulla adducta sint, hîc tamen *Asæ* nomine cætera monenda duxi. Asa itaque externum universale medicamen est, quod, licet propter sui sulphuris virtutem, quâ vim habet irritatam carnem consopiendi, das Fleisch zu sänfftigen/ & præcavendi, ne fortiora symptomata sanationi resistant, cùm Phaleiâ ejusdem originis sit ; ad tantam tamen puritatis & fixitatis metam minimè pervenit. Imò , ex præparatione totum diversum est à Phaleiæ medicamine, & cancro, lupo, cariei ossium, ulceribus malignis, à vermibus corrosis, & perforatis conferre dicitur, & ex sulphure Antimonii elicitur, de quo medicamine, qui vult, consulat nominatum *Basilium* & ejus Com-

mentatores, præprimis *Theodorum Kerckringium Comment. in Currum triumphalem Antimonii Basilii Valentini.* In præparatione verò ejus chymiæ cultores sint soliciti, ne in sulphuris extractione errent, unde in favorem eorum, qui per ignem veritatem rerum explorant, hoc jam moneo, quòd, cùm acetum destillatum tardè nimis extrahat ♁ vitrum, adhiberi primâ vice possit, aqua aliqua fortis, vel spiritus vitrioli philosophicus, & postmodùm acetô destillatô toties extrahi, usque nullæ feces amplius præcipitentur, & aquâ denique pluviâ destillatâ accuratissimè edulcorari debeat. Vix enim hîc modicæ pluviæ affusiones sufficient acori, tincturæ deliquium impedienti, unde cautio adhibeatur solicitissimè, ne inter exsiccandum comburatur, quod deinde in albuminibus ovorum induratis resolvi debet, exteriùs vulneribus, cancris & podagricis tumoribus applicandum, licet & alius modus sit antimonii tincturam extrahendi, isque facilior, ad mentem *Alexandri* von Suchten / quæ multis medendi finibus accommoda reperta est. De quâ & consulantur *Theoremata Chymicotechnica Johannis Rhenani Solis è puteo emergentis lib.* 1. *p. m.* 64. *& seq.* Ubi tamen observandum: utrumque & *Asæ & Phaleiæ* medicamentum, necessitate jubente, simul adhiberi posse, ut dum externè curamus, sive vulnera, sive ulcera, & loca inungimus dolentia, interiùs quoque malorum fonti occurramus.

Tandem, ne quemquam moveant aut turbent, in præparatione Asæ, liquores acres, salini, & corrodentes, [sunt enim, *teste Basiliô*, claves arcam metallorum reserantes, in quâ latet thesaurus, ipsa verò salia non custodiunt thesaurum,] hinc & separari debent, & separari possunt, modô observentur depurationis gradus. Ita enim me, etsi juvenẽ, parentis docuit experientia. Intereà sciendũ, cùm utriusque *Phaleiæ & Asæ* indigi sint Podagrici, Phaleiæ defectum adimpleri posse, vel ipso ignis lapide, vel astro solis volatili, sive ex auro desumptô, sive ex ♁ o, olei formâ cum spiritu vini per alembicum traducto, quod tamen sine Spiritu Mercurii impossibile est, cujus descriptionem, non sine affectu maximo in scriptis suis revelat *Basilius*, ita enim omnes hæ Tincturæ unius sulphuris universalis consanguinitate conspirant in unisonum.

Addam *Balsamum antipodagricum Rhumelii*, quem tamen obscuris descripsit verbis: Accipit ille *Coaguli Sulphuris animalis & alkali unc. ij. Gummi Mercurij & Sulphoris naturæ unc. sem. Et quintæ essentiæ vegetabilis* q. satis, hæc digerit per octiduũ & defecatum tunc balsamum applicat nodis podagricis. Sunt vero illa: *Sapo, cãphora & Spiritus vini.*

Non

Non leviora promittit *de Sale Urinæ Autor Viæ Univ. l. 2. p. 381. & 382.*

De *Balneis* quoque & *Thermis*, tam *artificialibus*, quàm *naturalibus*, ut & acidulis hîc nonnulla adnectenda essent. Sed, cùm naturaliũ quidem salubritas nitatur experientiâ potissimùm, dum ingredictibus hinc inde variant; eas non damnamus, si tamen consilio prudentis Medici, qui contentorum naturas exploratas habet, adhibeantur. In artificialibus, quæ ex herbis & mineralibus parantur, idem observetur, & ut potestate roborandi & dissolvendi polleant, qualia sunt herbæ quæ nervorum signaturam habent, & nodorum; & quædam vulnerariæ: ut plantago, Savina, levisticum, polypodium, hedera arborea & terrestris, verbena, veronica, perforata, consolida, & noñulla mineralia; ut Cadmia, Nitrum, Vitriolum, marcasita, &c. Excellit Betula.

Deniq; concludã emplastro, quo intra 24. horas podagricis omnis abscedit dolor: & recipit Castorei, masticis, terebinth. singulorũ uncias duas: Saponis Veneti, uncias quatuor, frustrũ cretæ magnitudine pugilli, & quartam partem mensuræ nostrâtis, sive libram unam aceti de vino, his ita in ordinem dispositis, sapo scindatur in frusta, & reponatur cum Terebinthinâ in ollâ novâ vitreata, ut liquescant super igne, dein castoreum injiciatur dissectum; post aliqualem liquationem affundatur acetum & agitentur simul, hinc saponis nigri coloniensis uncia addatur cum creta & decoquantur simul ad horam unam & dimidiam, ut habeas emplastrum molle, apponendum dolorifico loco, & renovandum intra 24. horas, ubi exsiccatum est.

Dixi, quæ alii silentio involvenda judicassent. Ab omni tamen molestâ curâ liber *Deo Triuni, Ter maximo, soli sapiẽti, Medico Trismegisto, laudes ex intimis animi visceribus humilimè persolvo, & ut opus hoc manuum mearum felicitare velit, per Jesum Christum Dominum nostrum, ego misericordiæ ipsius feudum, ad terram prostratus, supplex oro, in Nominis sui Divini gloriam, ægrorum commodum, & veritatis stabilimentum. Illi soli sit laus, honor & gratiarum actio, in Seculorum Secula.*

Amen.

F I N I S.